

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

TITI LVCRETII CARI

DE RERVM NATVRA

IN VSVM TIRONVM

SELEGIT, ADNOTATIONIBVS AVXIT

IOANNES BACCIVS SAC.

RHETORICAE MAGISTER
IN SEMINARIO PRATENSI



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
ANNO M. DCCC. LXXII.

DE T. LVCRETIO CARO [1]

Ad poësin didacticam, quam Ennius primum apud Romanos excogitaverat, animum adiunxit *T. Lucretius Carus*, natus ex familia equestri romana, anno urbis conditae DCLIX. Huic florenti adhuc aetate, memoriae proditum est, venenatum poculum ab uxore aut Lucilla amica fuisse propinatum, quo in furore actus semetipsum interfecit, quum annum aetatis ageret quartum et quadragesimum.

Epicureae doctrinae sectator Lucretius, hanc poëmate suo complexus est *De rerum natura*, quod sex libris continetur, carmine eroico exaratis. In quorum primo et secundo docet quae et qualia sint rerum primordia, quibus figuris distincta, quo motu ferantur, et quonam modo caetera procreent. In tertio animae naturam fusius explicat; in quarto agit de imaginibus, quibus homines tum vigilantes, tum dormientes affici consueverunt. In quinto totus est ut confirmet, solem, terram, mare, hanc denique mundi compagem neque ab aeterno fuisse, neque aeternum duraturam; in sexto demum diligentissime veterum opiniones persecutus de meteoris, deorum providentiam totis viribus oppugnat; tum vero quaedam disputat

(1) *Ex Hist. Crit. Litt. Lat.* Th. Vallaurii.

de morbis et peste; et poëma suum claudit eleganti pestilitatis illius descriptione, quae exardescente bello peloponnesiaco, Athenas vastavit.

Lucretianum carmen elegans (1) est, non multis ingenii luminibus distinctum, sed multa quidem arte expolitum (2). Quamquam vero obsoletis verbis abundat, non parum tamen ipsius lectio confert ad linguae latinae ubertatem ac proprietatem. Huic iudicio suffragatur acutissimus ille harum elegantiarum arbiter Carolus Boucheronus, quum ait; Lucretium, interioris doctrinae poëtam, eum esse, ut qui semel adamarunt, nunquam fere e manibus dimittant, ob reconditos sensus et antiquitatis effigiem, quam in asperiore adhuc lingua, necdum emollitis numeris retinuit.

Ne cui vero mirum sit, Lucretianum opus paucioribus, quam reliqua Romanorum carmina, altioris poëseos luminibus nitere. Hoc enim non tam scriptoris ingenio, quam ipsi rei naturae est tribuendum, quam noster tractandam suscepit. Siquidem vel ingeniosissimo viro vix licebit locos, ex intima quaestionum naturalium subtilitate petitos, poëticis amoenitatibus exornare. Ad haec quum doctrina epicurea quam Lucretius profitetur deorum providentiam atque animorum immortalitatem respuat, ac propterea nunquam adsurgat ad ea, quae sub sensus non cadunt, sublimes illos spiritus exstinguit, qui orationem attollunt. Ex quo iam patet, quanto platonica doctrina, et christiana sapientia ad poësin excolendam magis conferant quam illa philosophorum placita, quae potiusquam mortalium mentem ad coelum erigant, humi defigere consueverunt.

(1) Quintil. X, 1, 87.
(2) Tull. Epist. ad Quintum fratrem II, 11.

LECTORI
S.



Erunt fortasse, qui recentiora e poëmate lucretiano excerpta in usum tironum, alii alia de causa, respuant et criminentur: quippe alii contendant Epicuri de grege alumnum scriptorem iuventuti oblatum, errorum aetate hac nostra a christiana sapientia abhorrente propagatorum quamdam veluti commendationem exhibere: alii contra opus *multae quidem artis*, ut Cicero ait, non in frusta dividere, neque carptim libare, sed continuatum atque integrum malint praebere. Ego vero neque iucundum neque honestum iuvenilibus animis illud totum proponere, neque decerpta eiusdem carminis luculentiora quaedam loca invidere aequum censeo.

Ex ipsa quidem rei natura a poëta quamvis pollenti ingenio exaratae, perpetuam illam seriem librorum salebrosiorem et inamoenam, praesertim pueris, evadere pro certo habeo; et plerique iuvenum fore ut vel dormitantes legant, vel, ne dormitent, reiciant librum. Praeterea, ut quisque novit, Lucretius Rerum Naturam pertractans plurima delibavit, vel potius hausit ab Epicuro: quae non

modo a socratica illa platonicaque, nedum a christiana, sapientia dissident, sed in ipsius humanae sobolis contumeliam eo recidunt, uti sive impia, sive absurda, sive futilia, nemini arridere possint, nisi qui bufonem aut stellionem, vel erucam et simium in paludibus et gurgustiis cognatos sibi esse profiteatur. Ne ipsum quidem poëtam Lucretium doctrinae, quam declamat, satis fidentem reperies; quin imo non ex conscientia veri, sed a pervicacis animi proposito, concionabundus quae nemo credat, sese offert; interdum vero asperiori velut e cursura seu lucta anhelus, victoriam canens sed obnixe adhuc praelians, ut vincat, secus interiturus.

Quarum sententiarum gravissimus est auctor NICOLAVS THOMMASEVS « Che tanto (Virgilio) pro« fittasse di Lucrezio, io per vero non saprei cre« dere: per questa, fra le altre ragioni, che a « molto profittare richiedesi affetto, ne quel gen« tiluomo è tale che il buon Virgilio potesse a« marlo. Alla sua vereconda modestia dovea far « urto quella millanteria d'empietà, la quale sente « del *Miles Gloriosus;* quel disdegno quasi convulso « dimostrante lo sforzo dell'anima, che si dibatte « per sottrarsi al vero e a se stessa. Il gentiluomo « grida vittoria, ma la grida ansante, come chi « tuttavia pugna, e ostenta coraggio per darsi co« raggio: quel canto è ad ora ad ora rantolo più « che anelito. Delle tradizioni religiose e sociali « e della forte lingua redata dai padri suoi e' si

« giova per combattere quei sentimenti che ope-
« rarono la romana grandezza; così come il Vol-
« taire, e il Rousseau oppugnavano il Cristiane-
« simo, servendosi delle dottrine e dei sentimenti
« dal cristianesimo diffusi nel mondo, nei quali
« era l'anima loro cresciuta, come cresce nell'aria
« vitale la pianta, nè si può respirare fuori di
« quella per quanto si dica o si faccia » (1).

Enimvero superbia tumentem dixeris in aëra elatum nubes captare, atque inde fulgores atros iaculari, numquam, vel raro, ex materia, germanae poëseos lumina haurire. Quae tamen vesani cordis commenta, pro pudor! diuturnitate nondum extabuere, sed adhuc naturae humanae vitio, mollioribus animis quamquam christiana luce olim perfusis, lenocinantur.

Quae si vera sunt, non eo spectant uti celeberrimi poëtae carmine latinae linguae tirones omnino prohibeantur. Siquidem carent numero lucretiani operis tractus qui nullo infecti veneno ad excolenda ingenia maxime conferunt. Inde attingere fas est sinceriores latini sermonis haustus, uberioresque pollentis eloquii necdum fucati venas, largioresque verborum opes, unde stilum ditare possis, et recentiorum nomina rerum eruere. Adde aptum illud cum varietate rhythmicum melos rei naturam identidem resonans, sive quid taetrum aut

(1) V. *Archivio Italiano*, 3ª Dispensa 1871. *Della poesia di Virgilio.*

hilare, sive austerum seu blandum repraesentari opus est. Quod si, ut Vulpius fatetur, verbis quidem horridis et obsoletis, numeris item praefractis et asperis, quos ab Ennio aliisque antiquioribus poëtis acceperat, saepius utitur, sed ut sublimitatem et maiestatem quamdam orationi conciliet, tum etiam ut satietatem devitet, in quam eos incidisse videmus, qui se suaves semper et comtos, numquam austeros et grandes, esse voluerunt.

Neque vero ingenii luminibus eum prorsus carere autumaveris. Vtcumque enim ab arida illa acroatica tractactione assurgit, extimamque rerum naturam attingens sive hominum sive brutorum habitus, seu elementorum speciem appingit, quot lumina, quotque decora non mutuatae, non adventiciae sed primigenae ab ipso artis! quae secreti cordis animique motus et calores pertentans vel miserationem vel aegrorem, serena perraro gaudia exsuscitat perlegenti.

Dolendum sane est, quod multa eiusmodi, pravitate doctrinae, religionum contemptu, morumque turpitudinibus ipse vitiaverit. Verum enimvero alia sunt innumera loca quae impune legat studiosus puer: illis velim animum intendas, et praeclarae poëseos vim leporemque in episodiis et descriptionibus, cum cetera ex ipso didascalicae rei genere fere languescant, absorbeas.

Quae non omnia, quis posset? nec potiora forsan, sed ex multis selecta depromsi tibi, composuique, brevioribus meo more notis parce enarrata, ut ne

quid nimis, ne quid frustra moretur, seu pulcherrimam illam iuvenilium ingeniorum contentionem relaxet, qua demta, perexigui sane fructus ex veterum monumentis studiorum tironibus percipiantur. Quidquid inerit pretii, id mihi pergratum perque iucundum erit, iuventuti humanioribus litteris deditae me impendisse opus, in quam erudiendam prope in medio vitae nostrae cursu adnitor et adniti pergam, quoad datum erit, erratorum veniam spe praecipiens, laudum securus, et mercede vel praemiis, quaecumque ab hominibus sunt, aequo animo cariturus.

Dabam Idibus Ianuariis MDCCCLXXII.

IOANNES BACCIVS.



EX T. LVCRETIO CARO

DE RERVM NATVRA

EXCERPTA

I.

PROOEMIVM.

Aeneadum genetrix, hominum divûmque voluptas,
Alma Venus, coeli subter labentia signa
Quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
Concelebras; per Te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila coeli,
Adventumque tuum: tibi suaveis daedala tellus
Submittit flores: tibi rident aequora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine coelum.
Nam simul ac species patefacta'st verna diei,

Aeneadum genetrix etc.: Alma Venus, utpote Aeneae mater, inde genitrix Aeneadum, o voluptas hominum et deorum, quae concelebras, idest, animantium frequentia comples, navigabile mare et terras frugiferentes subter labentia signa coeli, hoc est, sidera: *frugiferenteis* archaicum pro frugiferentes, et ita saepe usurpat Lucretius in rectis et quartis cas. plur. Forma est graeca.

Exortum: postquam exortum est, vix natum: visit, h. e. videt.

Adventumqum tuum: fugiunt te et adventum tuum.

Daedala tellus: Daedala adiect. i. q. artifex. Submittit - i. q. fundit.

Tibi rident etc.: Suavis translatio. Verbum verbo reddas: *a te sorridono i piani del mare.*

Nam simul ac etc.: Simul ac species verna - *la bella primavera* patefacta est - *si aprì* - Scilicet verno tempore, quo naturam hanc rerum creavit Deus, volucres cantu salutare videntur Auctorem suum; tum quaeque animalia propagantur, revirescunt plantae. Sane speciosa veris descriptio haec. Recordare adolescens, illud christiani Poetae magni - *la dolce stagione - quando l'Amor divino Mosse da prima quelle cose belle.*

Et reserata viget genitabilis aura Favonî;
Aëriae primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum percussae corda tua vi:
Inde ferae pecudes persultant pabula laeta,
Et rapidos tranant amneis; ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
  Quae quoniam rerum Naturam sola gubernas,
Nec sine Te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit laetum, neque amabile quicquam;
Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de RERVM NATVRA pangere conor
Memmiadae nostro; quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.....

  Sed veluti pueris absinthia taetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Vt puerorum aetas improvida ludificetur

Viget etc.: Viget - *vigorisce* - genitabilis, enallage pro genitalis - *la genitale aura* - *Favonî*, *apocope*, *Favonii*. Favonius i. q. Zephyrus - Petrarca - *Zefiro torna e il bel tempo rimena*. Dante - *Surge ad aprire Zefiro dolce le novelle fronde.*

Initum: h. e. adventum, ut supra: venti et procellae fugiunt, aves appetunt salutantque eumdem adventum veris.

Perculsae corda: Graec. Dante - *il cuor compunto.*

Ferae pecudes: pecus, udis, fem. pro qualibet bestia, hic: *le selvagge belve.*

Capta lepore etc. - Ita quaelibet pecus capta lepore - *presa dalla dolcezza* - cupide - *bramosa* - sequitur te, quocumque velis ducere, quocumque iveris.

In luminis oras: Virg. Aen. VII. 660. Furtivum partu sub luminis edidit oras - *ai rai della divina luce.*

Memmiadae: h. e. filio Memmi, cuius familia fortasse nomen accepit a Mimnermia, quod est Veneris nomen.

Aeternum: Perpetuum carmini huic meo, de rerum natura, da leporem. Sed frustra poscit opem Veneris!

Sed veluti pueris etc: Veluti medici, cum conantur dare pueris absinthia taetra, h. e. amara, quae taedio sunt pueris, prius contingunt - *toccano* - etc. Oras pocula circum, idest poculorum oras. Hic, ut saepe, redundat Lucretii stilus.

Aetas improvida - *l' età semplicetta, i semplicetti fanciulli* -

Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat;
Sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,

Labrorum tenus h. e. ludificentur tantum labris, non ultra labra. Nam reapse non capitur decepta - *non è presa da inganno*, sed potius etc.

Haec ratio: carminum materies didascalica. Videtur tristior h. e. iniucunda iis a quibus non est tractata, vel, quorum gratia non est tractata.

Retroque volgus etc.: Illud - *retro*, fortasse redundat. Vide locum hunc quam parcius, quam luculentius ab italico poëta redditum.

Sai che là corre il mondo ove più versi
Di sùe dolcezze il lusinghier Parnaso;
E che il vero condito in molli versi
I più schivi allettando ha persuaso.
Così all' egro fanciul porgiamo aspersi
Di soave licor gli orli del vaso;
Succhi amari ingannato intanto ei beve
E dal inganno suo vita riceve. (Gerus. 1).

Carmine Pierio; Musarum loquela. Pierides dictae sunt Musae vel utpote, filiae Pierii macedonis, vel a Pierio monte Thessaliae, ubi ex Jove et Mnemosyne natae sunt. Earum nomina recenset Montius.

Ma come in pria v' invocherò? Tespiadi
Dovrò forse nomarvi o Aganippèe
O titolo di caste Eliconiadi
Più vi diletta, o di donzelle Ascrèe?
So che ninfe Castàlie e Citeriadi
Chiamarvi anco vi piace, o Pegasèe;
E vostro sulle rive d' Ippocrène
Di Pïeridi è il nome e di Camene. (Musog. 2).

Inde novem Musarum officia et partes, quae bene memoriae puellorum mandentur, enumerat.

Melpomene che grave il cor conquide
E Talìa che l'error flagella e ride.
Callïopèa che sol coi forti vive
Ed or ne canta la pietade or l'ira;
Euterpe amante delle doppie pive
E Polimnia del gesto e della lira;
Tersicore che salta e Clio che scrìve,
Erato che d'amor dolce sospira;
Ed Urania che gode le caròle
Temprar degli astri ed abitar nel sole. (25, 26).

Rationem exponere etc.: h. e. doctrinam.

Et quasi musaeo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet comta figura.

(Ex libr. I vers. 1-29, et vers. 935-649).

II.

DE INSTAVRATIONE RERVM.

Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes
Discidio redeunt in corpora materiaï.
  Postremo, pereunt imbres, ubi eos pater Aether
In gremium matris Terraï praecipitavit:
At nitidae surgunt fruges, ramique virescunt
Arboribus; crescunt ipsae, foetuque gravantur,
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum:
Hinc laetas urbeis pueris florere videmus,
Frundiferasque novis avibus canere undique sylvas:
Hinc fessae pecudes pingues per pabula laeta

Tali ratione: h. e. tali modo, poëtico lepore.
Comta figura: qua forma sint compta, h. e. composita.
Haud igitur etc.: Contendit poëta nîl prorsus extingui quidquid creatum est. Res omnes, ait, discidio, h. e. dissolutione materiae, redeunt in corpora alia. Sic pereunt imbres in terram demissi; verum inde origo est multarum rerum. Junge, discidio materiae; *Materiai*, archaicum, ut saepe, per dieresim, soluta diphtongo. Diphtongus, *ae* - in gen. fem. fortasse est contractio veterioris formae *ai* a Virgilio ipso retentae, aurai, terrai, pictai. V. Burnouf. Gram. Lat. Est sane eadem forma graecae diphtongi *αι* quae pronuntiata sonat vocalem *e*.
Crescunt ipsae: fruges.
Foetuque: h. e. fructibus.
Hinc alitur: his frugibus alitur etc.
Canere: Junge: videmus canere, figura est *abusio*, graece - *κατάχρησις*, qua utimur verbo non proprio sed simili et propinquo. Avibus canere silvas, est pro, aves canere silvis, ornate - *risuonar le selve.*
Fessae pecudes etc: Notanda haec duo adiecta, fessae, pingues: interpretare: eo magis fessae, quod pingues, vel alterutrum redundat.

Corpora deponunt; et candens lacteus humor
Vberibus manat distentis; hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis percussa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quaecunque videntur:
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adiutam aliena.

(Ex lib. I, vers. 249-265).

III.

DE VENTO.

Principio, Venti vis verberat incita pontum,
Ingenteisque ruit naveis, et nubila differt;
Interdum, rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit, monteisque supremos
Silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Cum fremitu, saevitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur Venti nimirum corpora caeca,
Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,

Lasciva: petulans, saliens.

Menteis novellas - il giovine istinto - Perculsae h. e. quasi luxuriantibus animis et lacte mero: - *la tenera prole, eccitato il giovine istinto.... con le membra mal ferme scherzevole ruzza etc.*

Alid: aliud.

Principio venti etc.: Venti vis, h. e. ventus, incita h. e. quod nos - *impetuosa* - verberat - *percuote.*

Ingentesque ruit etc.: Obruit, mergit naves ingentes.

Arboribus etc.: Sternit campos, idest, operit campos arboribus evulsis.

Silvifragis: Confer illud Poëtae nostri - *Li rami schianta* - Flabris - *Coi soffi.*

Corpora caeca: Ridebis sane, sed ne mireris ventos dici corpora ab eo poëta qui omnia materiem esse contendit.

Vexantia: refer ad *corpora caeca.*

Stragemque propagant: Continuant ruinas

Ac cum mollis aquae fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquaï,
Fragmina coniiciens sylvarum, arbustaque tota;
Nec validi possunt pontes venientis aquaï
Vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis,
Dat sonitu magno stragem; volvitque sub undis
Grandia saxa; ruit qua quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent Venti quoque flamina ferri:
Quae, veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.

(Ex lib. I, vers. 272-295).

IV.

EMPEDOCLES ET TRINACRIA.

. ... Qui materiem rerum esse putârunt
Ignem, atque ex igni summam consistere posse,
Et qui principium gignundis aëra rebus
Constituêre, aut humorem quicumque putârunt
Fingere res ipsum per se, terramve creare
Omnia et in rerum naturas vertier omneis;
Magnopere a vero longeque errâsse videntur.
Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,

Mollis etc.: Natura mollis h. e. fluida.
Abundanti - Che trabocca.
Quod largis etc.: Cf. Hor. Od. 1, lib. IV. Monte decurrens velut amnis, imbres quem super notas aluere ripas etc.
Ruit qua etc.: Ingruit quocumque aliqua moles obstat.
Materiem rerum: idest principium, causam. Refellit sapientes qui docuerunt ex quatuor elementis confieri omnia.
Summam: h. e. mundum universum.
Aëra rebus etc.: et qui constituerunt aëra esse principium etc.
Et in rerum etc.: et vertere se in naturas omnium rerum.
Primordia rerum - Gli elementi - Conduplicant - *raddoppiano.*

Aëra iungentes igni, terramque liquori;
Et qui quatuor ex rebus posse omnia.rentur,
Ex igni, terra, atque anima procrescere, et imbri.
  Quorum Acragantinus cumprimis Empedocles est;
Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans circum magnis amfractibus aequor
Ionium glaucis aspergit virus ab undis,
Angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiae terraï oras a finibus eius:
Hic est vasta Charybdis, et hic Aetnaea minantur
Murmura flammarum rursum se conligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis,
Ad coelumque ferat flammaï fulgura rursum:
Quae cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi;
Nil tamen hoc habuisse Viro praeclarius in se,

Anima: h. e. aëre.

Acragantinus: Empedocles ita dictus, utpote natus oppido Agrigenti, quod nomen accepit ab Acragante Siciliae monte.

Cum primis: inter primos philosophos est. De Empedocle vide Horatium Epist. 12, L. I, et Ad Pis. 464. fabulam de eius morte.

Triquetris: triquetrus adiect., proprie est triangulus, vel triangularis: unde Triquetra dicta est Sicilia a triangulari specie, eademque Trinacria est dicta a tribus promontoriis, Pachyno, Peloro, Lilybaeo; ἄκρα summitas, fastigium.

Magnis anfractibus: amfractus ex *am* h. e. *circum*, et frango in mari sunt ii sinuosi recessus, queis mare terras alluit inclusum; nos - *golfi, baie* - nam ibi mare quasi frangitur.

Glaucis ab undis - dalle onde azzurre.

Virus: translate appellat virus undam marinam, quae salsa et inde amara est. *Spruzza il verdastro umore dell'onda.*

Angustoque fretu: Fretum a ferveo, quia per hasce aestuosas maris angustias unda fervet. Hoc nomine absolute dictum est - *lo stretto di Messina* - prope Rhegium ex etimologia cuius vocis aliqui putaverunt Trinacriam a cetera Italia, irrumpente pelago, fuisse avulsam - ῥήγνυμι - frangor - V. Virg. III. Aen. 414. Quae opinio hodie satis comprobatur.

Aetnaea: Vulcanus Etna, Cf. Virg. Aenei. III. V. 554.

Quae cum etc.: quae regio, h. e. Sicilia, etsi videatur, multis de causis miranda gentibus humanis digna, quam invisant, tamen videtur non habuisse aliquid praeclarius etc, hoc viro, idest Empedocle.

Nec sanctûm magis, et mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris eius
Vociferantur, et exponunt praeclara reperta;
Vt vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen, et supera quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores,
Quamquam, multa bene ac divinitus invenientes,
Ex adyto tanquam cordis respônsa dedêre
Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quae tripode ex Phoebi, lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,
Et graviter magni magno cecidere ibi casu.

(Ex lib. I, vers. 705-742).

V.

DE MOTV FALLENTE OCVLOS.

Illud in his rebus non est mirabile, quare
Omnia cum rerum primordia sint in motu,
Summa tamen summa videatur stare quiete,
Praeterquam si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
Primorum natura iacet; quapropter ubi illa
Cernere iam nequeas, motus quoque surpere debent:

Vociferantur: act. sign. vel neutra - *Suonano*, Dante *di cui la fama ancòr nel mondo suona.*
Supera: supra.
Inferiores etc.: intellige: multis rebus egregie inferiores, h. e. valde inferiores Empedocle.
Ex adyto etc.: translate: tanquam e sacrario cordis - Dante *O santo petto* - Adytus ab - α - priv. et - δύω - ingredior.
Pythia: sacerdos Apollinis delphici.
Magni magno: irrisionem videtur exaggerare, ex coniunctis adiectis. Viri magni, magno casu etc.
Summa tamen etc.: h. e. totum, sive universus mundus videtur stare summa quiete. *Summa* nos- *l'aggregato.*
Praeterquam si etc.: etsi aliqua res moveri videatur.
Longe infra: valde infra, longe remota a sensibus nostris sunt elementa prima rerum.
Surpere debent: Surpere syncop. pro surripere h. e. fallere oculos. Quae ex magno intervallo nequeunt cerni debent quoque suum motum celare.

Praesertim cum, quae possimus cernere, celent
Saepe tamen motus spatio diducta locorum.
Nam saepe in colli tondentes pabula laeta
Lanigerae reptant pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbae gemmantes rore recenti;
Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant:
Omnia quae nobis longe confusa videntur,
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Praeterea magnae legiones cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes,
Et circumvolitant equites, mediosque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad coelum se tollit, totaque circum
Aëre renidescit tellus, subterque virûm vi

Tondentes: pascentes. Pabula laeta Et. nos - *allegre messi, lieti campi.*

Gemmantes rore etc.: Eleganter, italicis versibus reddit pistoriensis poëta Marchettus.

Poi che sovente in un bel colle aprico
Le pecore lanute, a passi lenti
Van bramose, tosando i lieti paschi
Ciascuna ove la chiama, ove la invita
La di fresca rugiada erba gemmata
E vi scherzan lascivi i grassi agnelli
Vezzosamente saltellando a gara.

Coniscant: Conisco, i. q. conando luctor, dicitur de haedis qui inter se cornibus incursant. Virg. Georg. II, 525, pinguesque in gramine laeto. Inter se adversis luctantur cornibus haedi.

In viridi candor: Suaviter - *in campo verde un bianco*, Dante *un non sapea che bianco.*

Belli simulacra: Nos - *finte battaglie* - Enimvero pollens est lingua Lucretii!

Subterque virum etc.: et sub pedibus virum ex impetu sonor magnus excitur. Nam viri quatientes impetu magno campos tramittunt medios campos, h. e. praetereunt. Marchettum audiamus.

Inoltre allor che poderose e grandi
Schiere di guerra in simulacro armate
Van con rapido corso i campi empiendo
E su prodi cavalli i cavalieri
Volan lungi da gli altri e furibondi
Scuoton con urto impetuoso il campo:
Quivi al cielo il fulgor se stesso innalza
Quivi splende la terra, e l'aria intorno
Arde tutta e lampeggia e sotto i piedi

Excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
Icti reiectant voces ad sidera mundi;
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, et in campis consistere fulgur.

(Ex lib. II, vers. 308-332).

VI.

DE MAGNA GENITRICE IDAEA.

Principio, tellus habet in se corpora prima,
Vnde mare immensum volventes flumina fontes
Assidue renovent: habet, ignes unde oriantur.
Nam multis succensa locis ardent sola terrae;
Eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae.
Tum porro nitidas fruges, arbustaque laeta
Gentibus humanis habet unde extollere possit.
Vnde etiam fluidas frondeis, et pabula laeta
Montivago generi possit praebere ferarum.
Quare magna Deûm mater, materque ferarum,

Dei valorosi eroi s'eccita un suono
Che misto con le strida e ripercosso
Dai monti, in un balen s'erge alle stelle:
E pur luogo è nei monti, onde ci sembra
Starsi nel campo un tal fulgore immoto.

Corpora prima: elementa omnium rerum.

Unde mare etc.: unde sunt fontes volventes fluidum humorem assidue, quo renovent mare immensum.

Habet unde etc.: habet vim, elementum ex quo etc.

Sola terrae: terrae superficies.

Eximiis: h. e. maximis.

Fluidas frondes: teneras, ideoque fluitantes.

Magna deûm mater: Cybele, filia Coeli et Vestae, mater Iovis et omnium deorum, aliter dicta Ops, Terra, Tellus, Berecynthia, Rea, Dyndimene, Pales, Mater Idaea, vel Phrygia, vel Pessinuntia, Mater alma, mater deorum, mater magna, etc. Dicta est a Cybele oppido Phrygiae vel a Cybelo monte, quem incolebat, in quo eius sacra primo sunt instituta, vel a Cybelo, primo illius sacerdote, etc. Curru quatuor rotarum vehi fingitur, quia mundus semper rotatur et volvitur, terra autem pendet in aëre. Currum duo leones vel leo et tigris trahunt, propter bestias, quae

Et nostri genitrix haec dict'est corporis una.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetae
Sublimem in curru biiugos agitare leones:
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem; neque posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras, quia quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentûm.
Muralique caput summum cinxere corona;
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis;
Quo nunc insigni per magnas praedita terras
Horrifice fertur divinae Matris imago.
Hanc variae gentes antiquo more sacrorum
Idaeam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt

in terra gignuntur et ex terra vivunt, vel quia Phrygia leonibus et aliis feris animantibus abundat. Turrim in capite gestat ad significandas urbes et arces; veste induta est arboribus et herbis picta, quia terra hisce rebus tecta est. Sacerdotes currum praecedebant, cymbala pulsantes, idest instrumenta ex aere: appellati Coribantes fuerunt et Galli a Gallo fluvio Phrygiae, vel a Gallo primo sacerdote. Sic Forcellinius, apte ad hunc Lucretii locum satis declarandum. Sed quae mater omnium deorum credebatur, dicebatur tamen Coeli et Vestae filia. O ridiculos parentum nostrorum errores!

Et nostri genitrix etc. Vere terra genitrix nostri corporis, alio sensu, quo censet poëta: nam, si Lucretius nescit, *Formavit Deus hominem de limo terrae.* Genesis.

Sublimem etc: - levata in cocchio sferzare una pariglia di leoni.

In terra etc.: h. e. neque posse partem aliquam in tota terra sistere: ita docet poëta terram hanc esse unum ex erraticis globis, quos dicimus -*pianeti*- a πλανῶμαι - erro, vagor.

Quia quamvis etc.: adiunxerunt feras, h. e. leones domitos, ut indicarent prolem hominum quantumvis efferam debere molliri cultu parentum.

Muralique etc: et cinxere summum caput - *il sommo della testa* - corona murali, h. e. pinnis et turribus. Virg. VI, Aen: 785.

« qualis Berecyntia mater
Invehitur curru phrygias turrita per urbes
Laeta dêum partu, centum complexa nepotes,
Omnes coelicolas, omnes supera alta tenentes.

Quo nunc insigni etc.: insigni, quod est, substántiv. - *insegna* - Quo insigni ornata mater Idaea.

Ex illis finibus: h. e. Phrygiae. Revera ex orientalibus finibus primi fuere terrarum cultus: ibidem ille paradisus voluptatis et origo mundi homini demonstrata.

Per terrarum orbem fruges coepisse creari.
Tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis;
Telaque praeportant violenti signa furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quae possint numine Divae.
Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute:
Aere atque argento sternunt iter omne viarum
Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervas.
Hic armata manus (Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios) inter se forte catenas
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine laeti; et
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictaeos referunt Curetas; qui Iovis illum
Vagitum in Creta quondam occultâsse feruntur.
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent aeribus aera,

Tympana tenta etc. Hi comites, sacerdotes, seu Corybantes, tympana pulsant etc. Cum pronuntiari sentias hunc versum tympani cymbalorumque sonitum audire tibi videris. Tenta a tendo, *tesi*, fortasse ex corio, ut apud nos. Palmis - *sotto i pugni.*

Et Phrygio etc.: phrygio numero - *in tuon frigio* - qui vehemens et fortis: contra lydii tibiarum modi acuti querulique.

Quae possint etc.: quae res possint conterrere metu pectora etc., ob numen divae.

Ergo cum etc.: cum primum dea muta, h. e. simulacrum deae, quod *os habet et non loquitur*, invecta est etc., donat mortales salute tacita, h. e. haud manifesta.

Ditantes etc. Subaudi deam. Sternunt, h. e. tegunt.

Ninguntque etc.: translate: activo sensu pro neut. imp. etiam italice active: *nevican fior di rose* - Marchettus:

Nevigando un nembo
Di rose fanno alla gran madre ed anco
Dei seguaci alle turbe ombra cortese.

Curetas. Populi Phrygiae, vel Corybantes dicti - κουρῆτες - fortasse a - κόρων - puerorum; fuerant enim pueri ii Curetes qui Iovem celaverunt. Constructio: quos Graii memorant nomine Curetas phrygios.

Catenas etc.: h. e. ludunt catenas, h. e. in choreis ducendis imitantur catenas, inter se connexi. Numine, - h. e. *col moto.*

Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Aeternumque daret Matri sub pectore volnus;
Propterea Magnam armati Matrem comitantur:
Aut quia significant Divam praedicere ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram;
Praesidioque parent, decorique parentibus esse.

(Ex lib. II, vers. 589-642).

VII.

ORIGO HOMINIS.

Denique coelesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem Pater est, unde alma liquenteis
Humorum guttas Mater cum Terra recepit,
Foeta parit nitidas fruges, arbustaque laeta,
Et genus humanum, et parit omnia saecla ferarum,
Pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.
Quapropter merito maternum nomen adepta'st.

Adeptus: ne Saturnus adeptus eum daret maxillis suis. Haec armata manus sacerdotum referunt h. e. repraesentant eos Dictaeos Curetas qui feruntur occultasse Iovem.

Praedicere: iubere.

Oriundi i. q. orti.

Ille idem etc.: h. e. coelum, unde alma mater, hoc est tellus, postquam accepit pluvios imbres, parit, h. e. producit. Foeta, idest gravida.

Saecla: metonymice pro ipsa vita animalium. Nos.: *Le generazioni.* « Et genus humanum. » Intellige: et cum terra praebeat pabula, quibus omne animal vescitur, quodammodo parit etiam genus humanum. Sed animadvertas: si non pascitur nisi qui iam vivus est, unde est vita? unde homo? Num e terra enatus ut caulis, ut fungus, immisso imbre? Divina sapientia augustiorem tuam originem te docet, cum doceat ipsum Deum e limo terrae creasse hominem. Vide, care adolescens, quam obscurata sint prima vera superbis philosophorum mentibus, quamque ridicule denegent respuantque veram sapientiam. Sed fortasse, veluti per umbras harumce mentium, aliquid veri, divinae revelationis fonte delibatum, deprendis.

Adepta est: Subaudi tellus, idest mater Idaea, de qua supra dixerat.

Cedit idem retro de terra quod fuit ante,
In terras; et quod missum 'st ex Aetheris oris,
Id rursum Coeli rellatum templa receptant;
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
Inde aliis aliud coniungit, et efficit, omnes
Res ut convertant formas, mutentque colores,
Et capient sensus, et puncto tempore reddant.

(Ex lib. II, vers. 990-1005).

VIII.

DE CORPORVM INCREMENTIS.

Multaque post mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris et terrae solisque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quae magnum iaculando contulit omne:
Vnde mare, et terrae possent augescere; et unde
Adpareret spatium coeli domus, altaque tecta
Tolleret a terris procul; et consurgeret aër.
Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis

Cedit idem etc. Revera in homine, quod e terra est, corpus, in terram redit. « Pulvis es, et in pulverem reverteris; » et quod missum est ex oris aethereis, idest anima rationis compos, rursum coelo post mortem est relatum.

Conficiat: ad nihilum redigat.

Sed coetum etc.: sed modo id quod compactum erat, dissolvit.

Et efficit etc. V. supra « De instauratione rerum. »

Puncto tempore: puncto temporis - *in un istante.*

Multaque etc. Post mundi originem et post primum diem exortum cum mari terra, sole, multa corpora etc. Non absurda videntur dicta quae sequuntur.

Quae magnum etc.: quae omne magnum, h. e. immensum coeli spatium contulit in unum corpus conflandum, iaculando semina rerum.

Adpareret: h. e. pareret, acquireret. Ut domus coeli acquireret spatium et tolleret tecta alta coeli procul a terris.

Nam sua cuique etc.: nam cuilibet materiae elementa ei congenera ex omnibus locis distributa adnectuntur plagis, h. e. ex coniectu, et ita coëunt in materiem eiusdem speciei: « ad sua saecla h. e. ad naturam congenerem.

Corpora distribuuntur, et ad sua saecla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit; et ignem ignes procudunt, aetheraque aether:
Donicum ad extremum crescendi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix;
Vt fit, ubi nihilo iam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his aetas debet consistere rebus;
His Natura suis refraenat viribus auctum.
Nam, quaecunque vides hilaro grandescere adauctu,
Paullatimque gradus aetatis scandere adultae:
Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur; et dum
Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant
Et plus dispendî faciant, quam vescitur aetas;
Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum'st; sed plura accedere debent,
Donicum olescendi summum tetigere cacumen:
Inde minutatim vireis, et robur adultum
Frangit, et in partem peiorem liquitur aetas.
Quippe etenim quando est res amplior, augmine demto

Terreno corpore: terra terrenis elementis sibi additis, inde crescit.

Perfica: i. q. perficiens: donec natura creatrix rerum perficiens omnia perducit ad finem crescendi.

Ut fit etc.: ut fit, cum, perfecta qualibet materie, seu corpore, nihilo plus est quod per venas digeritur, quam quod extrinsecus fluens perit.

Hilaro adauctu: quam pulchre! quam proprie de adolescentia vestra, felices pueri! Hic de cuiuslibet rei adolescentia - *crescere in lieto accrescimento* -. Notandus est sonor insequentis versus: totus enimvero sonat illud « scandere »: - *scender pei gradi delle età*.

Plura etc.: haec corpora adolescentia assumunt sibi plura quam quae amittant.

Et plus dispendî etc.: dispendî, genit. contracta vocali: sensus: nec plus perdant quam quod vescendo acquirunt.

Nam certe etc. Constr.: Dandum est manus, h. e. concedendum est, corpora plurima vere fluere et recedere ab iis corporibus, quibus innectuntur, et ideo partes multas in corporibus disperire.

Donicum olescendi etc.: donec tetigere ultimum gradum crescendi.

Quippe etenim etc. Constr.: Etenim, quanto res est amplior et

Et quo latior est, in cunctas undique parteis
Pluria eo dispergit, et a se corpora mittit;
Nec facile in venas cibus omnis diditur eii;
Nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
Vnde queat tantum suboriri, ac suppeditare,
Quantum opus est, et quod satis est, Natura novare.
Iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
Sunt; et cum externis succumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus aevo denique defit;
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere, et plagis infesta domare.
  Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
Expugnata dabunt labem, putreisque ruinas;
Omnia debet enim cibus integrare novando;

quo latior est, ea, adempto augmine, dispargit undique in cunctas partes corporis sui et ideo mittit ab se corpora plura, h. e. plures res.

Pro quam etc. Intell. Nec satis est, puta, id cibi, quod sumit, ex quo possit suboriri et suppeditare tantum quantum opus est: proquam, h. e. ob tam largos aestus quos exaestuat - *Non è assai, verso sì grandi perdite, quello, onde etc.* « Exaestuat aestus: » aestuando amittit. Hic *aestus*, humano in corpore, translate sunt quod dicimus - *gli umori.* - Reddam - *quello che esala in tanti umori.*

Cum rarefacta etc.: pereunt cum, fluendo, rarefacta sunt et cum omnes partes corporis succumbunt ictibus externis. Et nos traslate - *ai colpi.*

Quandoquidem etc.: quoniam senectuti non suppetit cibus.

Nec tuditantia: h. e. protundentia, a tudito frequent. verbi tundo. Et plagis infesta: corpora infesta non cessant domare etc.

Moenia mundi etc.: sic igitur etiam moenia mundi circum expugnata etc. Translatio est, quam italicis versibus reddit Monti:

> . . . *Le tenebre indietro respingesti,*
> *Che con muggito orribile profondo,*
> *Là del creato sulle rive estreme*
> *S'odon le mura flagellar del mondo.* (Bell. d. Univ.)

Putresque ruinas. Illud « putres » post vocem « labes » continuat metaphoram. Labes est principium ruinae. Sic Cicero: « Innocentiae labes et ruina » Flac. 10, extrem. Plautus Capt. 4. 3. 3, quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! Et nos: *quanto ha dato giù!* Italice: - *daranno il crollo e fradicie rovine.*

Omnia debet etc.: nam aliqua pars mundi, veluti cibus, debet confici ab alia parte, quae rursus frustra sustentabitur ex alius iactura.

Nequicquam, quoniam nec venae perpetiuntur
Quod satis est; neque quantum opus est, natura ministrat.
Iamque adeo affecta 'st aetas, effoetaque tellus
Vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
Saecla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud (ut opinor) enim mortalia saecla superne
Aurea de coelo demisit funis in arva;
Nec mare, nec fluctus plangentes saxa creârunt:
Sed genuit tellus eadem, quae nunc alit ex se.
Praeterea nitidas fruges, vinetaque laeta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit:
Ipsa dedit dulceis foetus, et pabula laeta;
Quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore:
Conterimusque boves, et vires agricolarum;
Conficimus ferrum vix arvis suppeditati:
Vsque adeo pereunt foetus, augentque labores.
Iamque caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem;
Et cum tempora temporibus praesentia confert

Iamque adeo etc. Et nostro quidem hoc tempore mundi aetas effoeta est - *spossata*.

Quae cuncta etc.: tellus, quae creavit cuncta etc., nunc vix creat animalia parva.

Haud, ut opinor etc. Ipsa tellus, ait Lucretius, genuit corpora ingentia, h. e. Gygantes. Non enim aurea funis demisit in terram genus humanum. Itaque iocando delirat poëta qui divinam ficturam in homine prorsus ignorat.

Plangentes: percutientes saxa.

Praeterea etc. Enimvero ista in paradiso illo adamico evenere.

Aucta labore. Cf. in Genesi: « In sudore vultus tui vesceris pane.

Suppeditati. Subaud. sunt. Vix agricolae satis multi dati sunt terrae colendae.

Usque adeo etc.: minuuntur fructus, labore crescente.

Iamque caput etc. Repete hic quae Dantes:

Lo villanello, a cui la roba manca
Si leva e guarda e vede la campagna
Biancheggiar tutta, ond'ei si batte l'anca;
Ritorna a casa e qua e là si lagna
Come il tapin che non sa che si faccia. (Inf. 24).

Et cum etc.: et confert - *paragona* - tempora praesentia cum temporibns anteactis.

Praeteritis, laudat fortunas saepe parentis;
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfaoile angustis tolerarit finibus aevum,
Cum minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire
Ad capulum spatio aetatis defessa vetusto.

(Ex lib. II, vers. 1104-1172).

IX.

DE MORTE.

At iam non domus accipiet te laeta, neque uxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Praeripere, et tacita pectus dulcedine tangent;
Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque

Laudat. Sic. Hor. ad Pis. de sene « laudator temporis acti se puero.

Et crepat etc. Crepare i. q. dictitare, clamare; et clamat ut, idest, quo pacto, quomodo genus antiquum hominum repletum pietate melius viveret etc. « Tolerare aevum » indicare videtur aegram vitam cum labore taedioque labentem.

Agri modus. Horat. - Hoc erat in votis: modus agri etc. - modus pro mensura » nos: *una pezza di terra.*

Nec tenet. nec reminiscitur.

Tabescere: eamdem vim habet hic « Tabescere, quam nostrum - *marcire.*

Ire ad capulum: et nos item - *andare in bara.*

At iam etc.: intellige: aliqui dicant. Confer Horat. Od. 14 Lib. II. Linquenda tellus et domus, et placens uxor etc.

Occurrent etc. Nec dulces nati occurrent praeripere tibi oscula, veluti certantes, quis primus osculum a te praeripiat. Occurrent praeripere est locutio poëtica, quae a vetustioribus poëtis usurpata, deinde a recentioribus identidem est retenta. Infinitivus modus pro gerundio et supino videtur forma a priscis poëtis desumpta de vulgari sermone, qui nondum expolitus a grammaticis, gerundiis non utebatur: quae vulgaris forma respondet nostro vernaculo. Sane multis modis vetus illa italica latina et nostra haec recens loquela sibi respondent: sunt enim una lingua.

Tacita pectus etc. Virgilius multo suavius: tacitum pertentant gaudia pectus. Aen. 1. 506. - *S' intenerisce per dolcezza il cuore.* - Hic, tacita dulcedine etc. - *di segreta dolcezza etc.*

Factis etc.: nec poteris florere magnis rebus a te gestis.

Praesidio: miser! ô miser! aiunt, omnia ademit
Vna dies infesta tibi tot praemia vitae.
Illud in his rebus non addunt, nec tibi earum
Iam desiderium insidet rerum insuper una.
Quod bene si videant animo, dictisque sequantur;
Dissolvant animi magno se angore, metuque.
  Denique si vocem rerum natura repente
Mittat, et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa:
« Quid tibi tantopere'st, mortalis, quod nimis aegris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita anteacta, priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere,
Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis;
Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quae fructus cumque es, periere profusa,
Vitaque in offensu'st; cur amplius addere quaeris,

Illud in his etc.: qui loquuntur ita, non addunt istud, quod, si bona ista non supererunt, neque supererunt desideria eorum.

Dictisque sequantur: si haec censeant, et dicere continuent - *proseguano con dire questo.*

Denique si etc. Longo sane orationis ambitu quem graeci περίοδον vocant, continuatur sententia, ad usque versum « quid respondeamus » etc., naturae ipsius sermone interposito, fig. prosopopeiae. Si natura rerum mittat vocem et increpet hoc etc., quid respondeamus? Mittat vocem, - *volga il parlare* - Dante. Increpet - *rampogni.*

Quid tibi etc.: quid tibi est tantopere, idest, tam grave, h. e. quare indulgeas etc. Nos - *t'abbandoni* - Congemis - *deplori.*

Nam si grata etc. Sic legendum. Priorque, h. e. et potior, vel melior.

Et non omnia etc. Imago desumpta ex dolio Danaïdum pertuso apud inferos. Horatius: inane lymphae dolium fundo pereuntis imo. Od. xi. l. iii. Constructio: et non omnia bona congesta perfluxere. Ingrata - *infruttuosi.*

Ut plenus etc. Horatius, Sat. 1. L. 1. exacto contentus tempore, vita cedat uti conviva satur. Sententia desumpta ab Aristotile qui ait: *prestantissima cosa è uscire dalla vita come da un convito, ne assetati ne ubriachi.*

Plenus vitae. Intellige: cur moriens non recedes plenus vita, ut conviva?

Quae fructus etc. Tmesis: quaecumque fructus es; fructus participium a fruor cum accusativo: archaice.

Profusa. - *Spanti* - continuat imaginem ex Danaïdum vase.

In offensu est: t'è d'inciampo. ti è molesta.

Rursum quod pereat male, et ingratum occidat omne?
Nam tibi praeterea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus iam marcet, et artus
Confecti languent: eadem tamen omnia restant,
Omnia si pergas vivendo vincere saecla;
Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus.
Quid respondeamus, nisi iustam intendere litem
Naturam, et veram verbis exponere causam?
At qui obitum lamentetur miser amplius aequo
Non merito inclamet magis, et voce increpet acri?
» Aufer ab hinc lacrymas, baratro, et compesce querelas.
Grandior hic vero si iam, seniorque queratur;
» Omnia perfructus vitaï praemia, marces? »
Sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
Imperfecta tibi elapsa'st, ingrataque vita,
Et nec-opinanti mors ad caput adstitit ante
Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte,
Aequo animoque, agedum iam, aliis concede: necesse'st.
Iure (ut opinor) agat, iure increpet, incilietque;
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas,

Nam tibi etc. Nam super haec bona nihil est quod machiner et inveniam tibi, quod placeat.

Et artus: h. e. neque adhuc artus languent.

Eadem tamen etc. Intell.: si te iuvenem bona, quae habes, non satiant, quid credis? omnia futura bona non satiabunt, eadem erunt.

Non merito etc.: non merito natura inclamet et increpans illi dicet? etc.

Baratro: i. q. balatro, de homine insatiabili. Italice: *Golaccia.*

Grandior hic. Sensus est: ac si quis iam senior queratur eadem, natura increpet dicens: an tu marces, h. e. mortis pavore, postquam gavisus es etc.

Praesentia temnis. Subaud. bona.

Ad caput etc. - Ti fu addosso.

Nunc aliena etc.: nunc mitte, cede omnia quae non sunt aetatis tuae. Aliis concede - *dà luogo.*

Necesse est: - bisogna morire.

Iure ut opinor. Intell. qui sic loquatur, vera dicet.

Incilet: antiqua vox: obiurget.

Cedit enim etc. Vide, lector, quomodo hic describatur id quod nostri perperam saepe dicunt - *il progresso.*

Semper et ex aliis aliud reparare necesse'st:
Nec quidquam in baratrum, nec tartara decidit atra.
Materies opus est, ut crescant postera saecla;
Quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur:
Nec minus ergo ante haec, quam nunc, cecidere cadentque.
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri,
Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.
  Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitârunt.
  Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,

Materies etc.: opus est, adiectivo sensu, i. q. materies necessaria est etc. Metaphora est sumpta a caementis vel maceriis, ex quibus dirutis et disiectis nova moles aliqua fabricatur. Sed in ipsis comparationibus rerum, materiarium philosophum, ideoque minus quam poëtam, Lucretium invenis.

Quae tamen etc.: omnia quae ex aliorum pernicie et veluti cineribus exoriuntur, ipsa quoque olim perfuncta munere vitae, sequentur: quidquid vivit ex te, post te morietur.

Nec minus etc.: nec minus anteac quam nunc, aliquae res cecidere, cadentque non minus ea quae futura sunt. Confer Horat. Debemus morti nos nostraque etc.; multa renascentur quae iam cecidere, cadentque etc. Ad Pis.

Vitaque mancupio etc.: mancupium seu mancipium est cuiusvis rei dominium - *proprietà*. - Antiqui enim res, quarum dominium sibi comparare volebant, in iure, manu capiebant.

Tute: tu ipse.

Sis: h. e. si vis, nisi negas.

Ancu'. Ancus, romanus rex: quae amputatio literae *s* usitatissima est Lucretio, aliisque veteribus. Sic Ennius apud Cic. de Senect. « equus senio confectu' quiescit. » Idemque apud Cicer. Tuscul. 1. 15.

> Nemo me lacrymis decoret nec funera fletu
> Faxit: cur? volito vivu' per ora virum.

Lumina oculis: h. e. ab oculis acceptam lucem.

Multis rebus: nos etiam: *in molte cose.*

Rerumque potentes. Nos: *signori.*

Occiderunt. Systole, breviata littera *e*.

Ille quoque etc. Confer Horat. Od. 3, 1. 1.

Iterque dedit etc.: dedit legionibus ire iter per mare. Sic. Virg. VI. Aen. Itque reditque viam etc.: cui formae respondet fortasse illud nostrum; - *andar via, correr via.*

Ac pedibus salsas docuit super ire lacunas:
Et contemsit, aquis insultans, murmura ponti,
Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Chartaginis horror,
Ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum,
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete'st.
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memorem motus languescere mentis,
Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obît decurso lumine vitae,
Qui genus humanum ingenio superavit, et omneis
Praestinxit stellas exortus uti aetherius Sol.
Tu vero dubitabis, et indignabere obire,
Mortua cui vita est prope iam vivo, atque videnti?
Qui somno partem maiorem conteris aevi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid sit tibi saepe mali, cum

Ac pedibus etc. Non alis, sed pedibus in navi statis ire per aequor.
Aquis insultans: insiliens in aquas.
Belli fulmen. Virg. VI. Scipiadas, duo fulmina belli.
Famul: famulus.
Doctrinarum: h. e. philosophiae et poëseos, vel utriusque simul: nam primi poëtae, qui de natura deque numinibus sermones habuerunt, fuere διδασκάλικοι.
Heliconiadum comites: poetae, musarum comites.
Sceptra: accus. pro ablat. potitus sceptris. *Poeta sovrano.* Dante.
Eadem aliis: h. e. morte simili aliorum morti.
Democritum. Dante: *Democrito che il mondo a caso pone.*
Admonuit etc.: admonuit memorem i. q. edocuit languescere motus - *illanguidirsi i moti.*
Epicurus, qui ex Democriti et Aristippi libris doctrinam eam hausit, quae postea epicureismus dicta est: unde Lucretius ei concors, eum suspicit et laudibus effert. Vel Horatius se dicit, «Epicuri de grege porcum» Epist. 4, l. 1. Obit, obiit.
Exortus: exoriens. Quod sequitur « aetherius sol - redundare videtur. Satis enim erat dixisse, translato sensu - restinxit stellas exortus.» Sic aliquando parsimoniam illam auream in Lucretio desideras.
Cassa: translate pro vana, absurda.
Nec reperire etc.: nec potes dignoscere saepe, quae sint tibi vera mala. Luculentus sane hic locus occurrit.

Ebrius urgeris multis miser undique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?
Si possent homines, proinde ac sentire videntur,
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
Et quibus id fiat causis cognoscere, et unde
Tanta mali tanquam moles in pectore constet;
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus:
Quid sibi quisque velit, nescire, et quaerere semper,
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
Esse domi quem pertaesum est, subitoque revertit:
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam hic praecipitanter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans;

Ebrius etc. Vide, agedum, studiose puer, quantas res uno versiculo! quantam vim ex figuris ethopoeiae et prosopopeiae! Curarum turba urgens premit undique vesanum formidine hominem velut ebrium et miserum, cum summovere eas non possit - *fan pressa all'ebbro mille cure etc.*

Animi fluitans. Graecism. *Ondeggiante dell' animo t' aggiri, d'un errore in un altro.* Quae omnia Noster uno versu.

Si possent homines etc.: Si homines, ut videntur sentire illud curarum pondus inesse animo, sic possent cognoscere quibus de causis id fiat, et unde etc. « quod se gravitate fatigat, h. e. quod magnitudine laborat sua, vel potius, quod mole sua fatigat se. » Enimvero « nosce teipsum » ait philosophus alius.

Quid sibi etc.: videmus quemlibet nescire quid sibi velit. - *Che si voglia.*

Quasi onus etc. Huic locus Flacci poësim obdimus:

Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? sapiens sibique imperiosus
Quem neque pauperies neque mors nec vincula terrent
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per laeve morari.....
eripe turpi
Colla iugo: liber, liber sum, dic age! non quis!
Urget enim dominus mentem non lenis et acres
Subiectat lasso stimulos, versatque negantem. »

(Sat. 7, l. II.)

Foris: h. e extra domum: quippe qui sentiat extra domum nil melius esse quam domi.

Quasi instans: quasi festinans.

Oscitat extemplo, tetigit cum limina villae:
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quaerit,
Aut etiam properans urbem petit, atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut fit,
Effugere haud potis est, ingratis haeret, et angit,
Propterea, morbi quia causam non tenet aeger
Quam bene si videat, iam, rebus quisque relictis,
Naturam primum studeat cognoscere rerum,
Temporis aeterni quoniam, non unius horae,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Aetas post mortem, quae restat cumque, manenda.
  Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quae mala nos subigit vitaï tanta cupido?
Certa quidem finis vitae mortalibus adstat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.
  Praeterea, versamur ibidem, atque insumus usque:
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.

Aut abit in somnum etc.: - carco si piega al sonno e cerca oblio.

Ingratis: synaeresis, pro ingratiis - *a malgrado;* nam dolor, seu morbus animi, quem scilicet homo non potest effugere, eo invito illi inhaeret, propterea quia aeger homo ignorat morbi causam. Sic Horatius «nec aerata recedit triremi et post equitem sedet atra cura.» (Ode 1, l. III).

Temporis aeterni etc.: quoniam non status unius horae, sed status aeterni temporis ambigitur, h. e. cadit in quaestionem, in quo manenda sit mortalibus post mortem aetas omnis, quaecumque sit, h. e. sive bona, sive infelix.

Nec devitari etc. Pote, neutri generis, pote est. Nec potest devitari lethum, adeo ut non obeamus. «Pote» vox est fere poëtica, ait Forcellinius: imo, putem, a vulgari sumpta sermone. Et nos - *puote.* - Complura invenies, humane adolescens, latina vocabula quae, parce detorta, eadem sonant eodem sensu, italico nostro vernaculo. Tenet sententia vulgarem sermonem veterum Quiritium magna ex parte vigere hodie vulgo per Italiam. Populus enim alpibus circumseptus et mari, quantumvis, tot inter conversiones, tantamque post conluvionem inundantium barbarorum iactatus et remixtus, nunquam prorsus extinctus est. Quod si non extinctus populus, sic lingua eiusdem populi ditata, expolita est, non obruta neque extincta. Unde ait doctissimus quidam. *Queste forme comuni a noi e a' nostri antichi ci fanno arguire che certe voci italiane nella forma vivente oggidì sono più antiche di Romolo..... Ella saprà certamente avvertire quanti modi latini nell'italiano rimangono tuttavia vivi e come le due non facciano che una lingua.* Tommaseo.

Sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
Caetera: post aliud, cum contigit illud, avemus;
Et sitis aequa tenet vitaï semper hianteis:
Posteraque in dubio'st fortunam quam vehat aetas,
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.

(Ex lib. III. vers. 907-916,
ex vers. 944-984, ex vers. 1037-1099).

X.

DE SOMNO.

Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
Inriget, atque animi curas e pectore solvat;
Suavidicis potius, quam multis versibus, edam,
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in aetheriis dispersus nubibus austri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque sagacem,
Ne fieri negites, quae dicam posse; retroque
Vera repulsanti discedas pectore dicta;
Tutemet in culpa quom sis, ne cernere possis.
Principio somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animae, partimque foras eiecta recessit;

Nunc quibus ille etc. Pronomen « ille » videtur redundare, vel potius est intentivum, cui respondet per ora nostra vocula illa quam dicimus articulum. Satis constat ex huiusmodi pronominibus derivasse articula in sermonem nostrum. Sic idem pronomen « ille, » si quando maiestatem personae indicet, italico articulo potest reddi: puta, quod Cicero habet, « Magnus ille Alexander, » reddam: *Alessandro il magno.*

Quietem inriget. Virg. Aen. 1. 691. At Venus Ascanio placidam per membra quietem inrigat.

Or come il sonno per le membra irrighi
La sicura quïete e della mente
Sciolga ogni affanno ecc. (Marchetti.)

Parvus ut est etc.: ut parvus canor, *il gorgheggio;* cycni, melior est quam ille clamor: *lo strepito*, gruum.

Tenueis: acutas, seu purgatas: archaice.

Retroque etc.: tuque discedas retro, a me, pectore h. e. animo repulsanti dicta vera.

Quom sis: h. e. cum ipse sis etc.

Et partim contrusa magis concessit in altum:
Dissolvuntur enim tum demum membra fluuntque.
Nam dubium non est, animaï quin opera sit
Sensus hic in nobis, quem cum sopor impedit esse,
Tum nobis animam perturbatam esse putandum'st,
Eiectamque foras, non omnem; namque iaceret
Aeterno corpus perfusum frigore lethi:
Quippe ubi nulla latens animaï pars remaneret
In membris, cinere ut molta latet obrutus ignis,
Vnde reconflari sensus per membra repente
Possit, ut ex igni caeco consurgere flamma.
 Sed quibus haec rebus novitas confletur, et unde
Perturbari anima, et corpus languescere possit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
 Principio, externa corpus de parte necessum'st,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque eius crebro pulsarier ictu:
Propterea que fere res omnes, aut corio sunt,
Aut seta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectae.
Interiorem etiam partem spirantibus aër
Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.
Quare utrinque secus quom corpus vapulet, et quom
Perveniant plagae per parva foramina nobis

Concessit in altum: se recepit in intimas partes.
Dissolvuntur: h. e. infirmantur, languescunt.
Fluuntque: transl. redderem: *e cascano.*
Quippe ubi nulla etc.: quandoquidem non remaneret aliqua pars animae molta h. e. multa in cinere.
Unde reconflari etc.: unde, nos: *onde*, reconflari h. e. reparari. Continuat metaphoram ex igne sopito sub cinere doloso.
Igni caeco: h. e. abdito, metonym.
Quibus haec etc.: sed quibus de causis haec novitas idest somnus, constet etc.
Ne ventis etc.: et nos: *ch'io non sparga le parole al vento.*
Principio etc. Primum, quoniam corpus undique tangitur aëre circumdato, consequens est illud percuti aëris ictu.
Interiorem etiam etc. Intellige: cum animalia respirent aër, idem aër cum ducitur et cum reflatur, h. e. cum intromittitur et excluditur, verberat etiam viscera.
Utrinque secus: copulative significat i. q. utrinque. Sensus: quare, cum corpus utrinque pulsetur, exterius et interius. etc.
Plagae: h. e. ictus.
Foramina. Nos: *i pori*; vide verborum affinitatem.

Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quasi paullatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim positurae principiorum
Corporis, atque animi, sic, ut pars inde animaï
Eiiciatur, et introrsum pars abdita cedat;
Pars etiam distracta per artus, non queat esse
Coniuncta inter se, nec motu mutua fungi;
Inter enim saepit aditus Natura, viasque:
Ergo sensus abit mutatis motibus alte.
Et quoniam non est quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescunt omnia membra;
Brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque cubanti.
Saepe tama submittuntur, viresque resolvunt.
Deinde cibum sequitur somnus, quia quae facit aër,
Haec eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit; et multo sopor ille gravissimus extat,
Quem satur, aut lassus capias, quia plurima tum se
Corpora conturbant magno contusa labore:
Fit ratione eadem coniectus porro animaï
Altior, atque foras eiectus largior eius,
Et divisior inter se, ac distractior intus.
Et quoi quisque fere studio devinctus adhaeret,

Ad primas partes; h. e. ad interiora, ad viscera.
Positurae: - *le posture*.
Principiorum: - *delle facoltà*. Animi h. e. animae.
Mutua etc.: non possit vicissim moveri.
Inter enim etc. Tmesis; intersaepit h. e. occludit.
Sensus abit: sensus recedit introrsum a quibusdam corporis partibus, et ideo, veluti deficiente anima, quae eas fulciat et regat, hae partes languescunt.
Cubanti: homini cubanti h. e. subsidenti.
Tama; docent hanc vocem significare vitium corporis ex lassitudine contractum: fortasse est a graeco τέμνω frango. Sensus: poplites languore submittuntur, inclinantur homini delassato.
Corpora conturbant etc.: corpora, h. e. elementa sensus.
Eadem: ablat. per contract. vocalium.
Coniectus animaï: coniectus halitus. Coniectus animae: *la tratta del respiro*: eiectus - *il getto*. Porro h. e. longe. Videtur alludere actum stertendi - *il russare*.
Et quoi quisque etc. Et saepe in somnis quisque videtur obire, idest reflecti in id studium, cui fere devinctus adhaeret. Itaque videmur obire per somnos eas res, in quibus etc., et eam rationem in qua mens magis contenta fuit, *più intenta*.

Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire:
Causidici causas agere, et componere leges;
Induperatores pugnare, ac praelia obire;
Nautae contractum cum ventis cernere bellum;
Nos agere hoc autem, et naturam quaerere rerum
Semper, et inventam patriis exponere chartis.
Caetera sic studia, atque artes plerumque videntur
In somnis animos hominum frustrata tenere.
  Et, quicumque dies multos ex ordine ludis
Adsiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom iam destiterint ea sensibus usurpare,
Relliquäs tamen esse vias in mente patenteis,
Qua possint eadem rerum simulacra venire:
Permultos itaque illa dies eadem obversantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis;
Et citharae liquidum carmen, chordasque loquenteis
Auribus accipere, et concessum cernere eundem;
Scenaïque simul varios splendere decores.
Vsque adeo magni refert studium, atque voluntas,
Et quibus in rebus consuêrint esse operati
Non homines solum, sed vero animalia cuncta.

Componere: conferre, *ordinare.*
Induperatores: imperatores, fig. epentesis. Sic Metastasius:

Quando il costume
Si converte in natura,
L'alma quel che non ha sogna e figura:
Sogna il guerrier le schiere,
Le selve il cacciator;
E sogna il pescator
Le reti e l'amo. (Artas. 1, 6).

Agere hoc: condere carmen hoc de rerum natura.
Frustrata: activo sensu, h. e. fallentia.
Et quicumque etc.: et quicumque dederunt operam ludis multos dies ex ordine etc.: dederunt, breviata secunda per systolen.
Relliquäs: quadrisyllabum per dieresim, prima producta ex geminatione consonantis.
Permultos illa: h. e. permultos dies.
Esse operati: h. e. agere, exercere.

Quippe videbis equos forteis, cum membra iacebunt,
In somnis sudare tamen, spirareque saepe,
Et quasi de palma summas contendere vireis,
Tunc quasi carceribus patefactis saepe quiete.
Venantumque canes in molli saepe quiete
Iactant crura tamen subito, vocesque repente
Mittunt, et crebras redducunt naribus auras,
Vt vestigia si teneant inventa ferarum:
Expergefactique sequuntur inania saepe
Cervorum simulacra, fugae quasi dedita cernant;
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At consueta domi catulorum blanda propago
Degere, saepe levem ex oculis, volucremque soporem
Discutere, et corpus de terra corripere instant,
Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur.
Et quam quaeque magis sunt aspera semina eorum,
Tam magis in somnis eadem saevire necessum'st.
At variae fugiunt volucres, pennisque repente
Sollicitant Divûm nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si praelia, pugnasque
Edere sunt persectantes, visaeque volantes.

(Ex lib. IV, vers. 905-1005).

Contendere vires: adniti pro viribus.
Saepe quiete: iunge: contendere, per sommos.
Redducunt auras: nos: *alenano*.
Catulorum propago: h. e. catuli.
Instant: adnituntur.
Tuantur: tueantur, per contract.
Aspera semina eorum: translate pro indole vel specie. Sensus: quam magis quaeque animalia sunt aspera indole.
At variae volucres etc.: at pictae volucres fugiunt etc., si visae sunt sibi per somnum cernere accipitres qui, persectantes, et volantes, edant praelia.

XI.

SAPIENTIA DIVA.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum maiestate, hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis Eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quaesitaque praemia liquit?
Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum'st: Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui Princeps vitae rationem invenit eam, quae
Nunc appellatur Sapientia; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, et tam clara luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Cum tamen his posset sine rebus vita manere:
Vt fama 'st aliquas etiam nunc vivere genteis.
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur;
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis

Quis potis etc. Quis adeo viget corde pollenti, ut possit condere carmen, quod dignum sit his tam gravibus iisdemque novis rebus? Horatius de poeta. Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os Magna sonaturum des nominis huius honorem.

Hisque repertis etc.: pro his repertis; neut. subst.

Parta quaesitaque: fig. hysteron proteron, seu hysterologia, qua, quod prius ordine est posterius dicitur: prius enim res sunt nobis quaesitae, tum partae.

Nemo etc. Is, qui hunc digne laudet, non erit inter homines.

Nam si etc. Nam si dicendum est prout ipsa maiestas rerum poscit etc.

Per artem. Subaudi carminum. Hor. non ante vulgatas per artes verba loquor socianda chordis. Od. 9. L. IV.

Fluctibus tenebris: translate, de hominum aerumnis et ignorantia, cui respondet quod sequitur; in tam tranquillo et tam clara luce locavit. *In tam tranquillo*, absolute dictum, h. e. tranquillo statu.

Etiam nunc vivere. Subaudi, sine his rebus.

Dulcia permulcent animos solatia vitae.
Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere;
Quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset, et horrens Arcadius sus?
Denique quid Cretae taurus, Lernaeaque pestis
Hidra venenatis posset vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï?
Et Diomedis equi spirantes naribus ignem
Thracem, Bistoniasque plagas atque Ismara propter,
Tantopere officerent nobis? uncisque timendae
Vnguibus Arcadiae volucres Stymphâla colentes?
Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala
Asper, acerba tuens, immani corpore Serpens,
Arboris amplexus stirpem; quid denique obesset,
Propter Atlantaeum littus, pelageque severa,

Solatia: solatia doctrinae, quae sane vitam permulcent et recreant.

Longius a vera etc.: longius a vero abduceris.

Quid Nemeaeus etc. Quosdam enumerat ex duodecim laboribus Herculis. « Magnus hiatus Nemeaeus leonis » dictum est eleganter pro « leo Nemeaeus magno hiatu, » h. e. faucibus. Nemeaeus dictus est leo a silva ubi eum Hercules iugulavit.

Lernaeaque pestis: hydra in Lerna septem capitibus munita, de qua Horatius « non hydra secto corpore firmior vinci dolentem crevit in Herculem. » Od. 4, l. IV.

Vallata: h. e. munita, cui, veluti pro vallo, capitibus erant colubres.

Geryonaï. De Geryone tricorpore, Virgilius: Alcides......... tergmini nece Geryonis spoliisque superbus. Aen. XIII. 202. Notandus mihi videtur hic Lucretii versus, qui, utpote asper, ipsius belluae asperitatem prae se fert, simulque confert ad carminis varietatem. Revera Lucretium legens miraberis: - *tra i pregi la varietà del numero che sovente risponde all'idea, la schiettezza e potenza della locuzione,* - *Tommaseo*. Iunge: tripectora vis.

Propter: prope Thracen etc.

Stymphâla: neut. plur. Stymphâlum mons, itemque lacus et fluvius in Arcadia.

Serpens: draco qui custos servabat aurea mala in hortis Hesperidum, ab Hercule interemptus. Asper, *cruccioso*, acerba tuens: enallage. Item Virg. de leone; asper, acerba tuens. Aen. IX. 794, acerba i. q. *torva, torvamente mirando*, (Caro.)

Quid denique etc. Quodnam aliud monstrum noceret nobis etc.

Pelageque: neut. plur. graecâ positione.

Quo neque noster adit quisquam, neque barbarus audet?
Caetera de genere hoc quae sunt portenta peremta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor; ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta 'st
Per nemora ac monteis magnos, sylvasque profundas;
Quae loca vitandi plerumque est nostra potestas.
  At nisi purgatum 'st pectus, quae praelia nobis,
Atque pericula tunc ingratîs insinuandum?
Quantae conscindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curae? quantique perinde timores?
Quidve superbia, spurcities, petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus, desidiesque?
Haec igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,
Hunc hominem numero Divûm dignarier esse?

(Ex lib. V, vers. 1-52).

Noster etc.: quo neque nostrates neque alienigenae adeunt, nec audent.

Satiatem: satias-atis, i q. satietas, poëtico stylo aptius.

Scatit: cum genit. Scatit ferarum; Horatius: scatentem belluis pontum. Od. 27, L. III.; *che brulica.*

Ingratîs: ingratiis, h. e. nobis invitis.

Insinuandum: intro mittendum est. Subaudi aliqua praepos. ex grammaticorum placito: constructio est absoluta pro, quae pericula insinuanda.

Cuppedinis: ἀρχαϊχῶς, i. q. cupidinis: *quanti appetiti con pungenti cure stracciano l'egro etc.*

Quidve superbia etc.:

..... quali stragi e quante
Generan la superbia e l'arroganza,
L'ira, la fraude, la sozzura, il lusso
La gola, il sonno, le oziose piume? (Marchetti).

Ex animoque: Subaudi: hominum.

Dignarier etc. Nonne decebit putare hunc hominem dignum esse numero divûm, h. e. Deum esse. Scholiastes contendunt hunc hominem a Lucretio laudatum, esse Epicurum. Non placet: vel poëta quemdam alium hic animadvertit, vel delirus putandus est. Quo enim pacto Epicurus potest dici: «subegisse expulisse spurcitiam et luxum? Audiamus Lactantium. De falsa sapientia L. III. c. 14. «Rectius itaque Lucretius, cum eum laudat qui sapientiam primus invenit; sed hoc inepte, quod ab homine inventam putavit.... Apparet aut Pytagoram voluisse laudare, qui se primus philosophum nominavit, aut Milesium Thalem, qui de

XII.

ORIGO ANIMALIVM.

Principio, genus herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore:
Arboribusque datum 'st variis exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis:

rerum natura primus traditur disputasse. Sed dum hominem quaerit extollere, rem ipsam depressit. Non est enim magna si ab homine potuit inveniri: verum potest, ut poëtae, dari venia.»

Iam vero, bone adolescens, iste homo, quem Lucretius ignorans Deum appellat atque fatetur, iste inquam, sit tibi « IESUS CHRISTUS.» Ipse ait de se « non veni pacem mittere sed gladium... non quomodo mundus dat ego do vobis.» Is profecto « Diva Sapientia » est, quae non armis sed dictis, h. e. verbo doctrinae suae, superbiam, spurcitiam petulantiam, luxum, desidiemque subegit atque expulit. Quique revera:

Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
In tam tranquillo et tam clara luce locavit.

Florida fulserunt etc. Vide quam eleganter! Florida - *fioriti* - vere novo. (Marchetti).

Pria le specie dell'erbe, e il verde onore
La terra germinò: florido il prato
Di color di smeraldo a' colli intorno
Rifulse e in tutti i campi: a varie piante
Quindi concesso fu d'ergersi a gara
Per l'aure a lente briglie etc.

Recordare illud Dantis:

Come a raggio di sol, che puro mèi
Per fratta nube, già prato di fiori
Vider coperti d'ombra gli occhi miei.

Et alibi: *Oro ed argento fino e cocco e biacca,*
Indico legno lucido e sereno,
Fresco smeraldo in l'ora che si fiacca
Dall'erba e dalli fior dentro a quel seno
Posti, ciascun saria di color vinto etc.

Arboribusque datum etc.: iunge: certamen crescendi datum est arboribus: in qua serie verborum notanda est vox « certamen, » quae media est inter « immissis habenis.» Datum est ut inter se certarent crescere, habenis immissis, h. e. quo quaeque arbos ferebatur, quasi aemularentur altera alterius auctus. Virg. de igne, item allegorice: furit immissis Vulcanus habenis. v. 662 et VI, 1 Classique immittit habenas.

Vt pluma atque pili primum setaeque creantur
Quadrupedum in membris, et corpore pennipotentum;
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit: inde loci mortalia saecla creavit
Multa modis multis varia ratione coorta:
Nam neque de coelo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata:
Multaque nunc etiam existunt animalia terris,
Imbribus, et calido solis concreta vapore.
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta,
Et maiora nova tellure, atque aethere adulta.
Principio, genus alituum, variaeque volucres
Ova relinquebant exclusae tempore verno;
Folliculos ut nunc teretes aestate cicadae
Linquunt, sponte sua victum, vitamque petentes.
Tum tibi terra dedit primum mortalia saecla:
Multus enim calor, atque humor superabat in arvis.
Hinc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uteri terrae radicibus apti;

Pennipotentum: h. e. avium.

Inde loci: ex eo loco: sed per catachresim ponitur ex eo tempore, exinde.

Linquitur etc. Restat, dicendum est, terram merito appellatam esse matrem.

Et maiora: utpote ex terra nova.

Adulta: ab adoleo, quod significat etiam cremare, urere. Sic melius arridet sententia: terra nova et adulta h. e. perusta sole, seu aethere. Alii legunt « adulto, » relate ad vocem « aethere; » quod eodem sensu potest esse pro aethere calefacto.

Exclusae: editae, emissae, ab ovis.

Folliculos: - *i gusci*, - teretes, - *lisci.*

Quaeque loci etc.: quaecumque tellus, vel tractus terrae etc.

Uteri terrae. Constr.: uteri apti radicibus, h. e. per radices apti, inhaerentes terrae, crescebant. Explicat Lactantius: Terram novam semen genitale retinentem folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse, eosque, cum maturassent, natura cogente ruptos, animalia tenera profudisse. L. II. c. XI. « Uteri » igitur hic translate sunt ipsi folles, de quibus supra: hi dicuntur apti radicibus. Apti ab apto, graece ἅπτω, ligo, idest connexi. Eodem sensu Virg. « axem stellis ardentibus aptum; IV Aen. 482. « Radicibus, translate, idest, imae parti tenus.

Quos ubi tempore maturo patefecerat aetas
Infantum fugiens humorem, aurasque petissens,
Convertebat ibi Natura foramina terrae,
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis; sicut nunc foemina quaeque
Cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Praebebat multa et molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios aestus, nec magnis viribus auras:
Omnia enim pariter crescunt, et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animal prope certo tempore fudit
Omne quod in magnis bacchatur montibu' passim,
Aëriasque simul volucreis variantibu' formis.
Sed quia finem aliquem pariendi debet habere,
Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto:
Mutat enim mundi naturam totius aetas,

Quos ubi etc: quos folles, ubi aetas infantum, h. e. animalium recentium a terra, fugiens humentem situm, et petissens, h. e. appetens, quaerens auras, patefecerat tempore maturo, h. e. debito, tum natura vertebat ad animalia foramina terrae et cogebat eam fundere venis apertis succum quo illa nutrirentur, quasi lacte.

At novitas mundi: recens mundus. Dante: *pur mo' nata.* Noster idem de Paradiso:

Un'aura dolce senza mutamento
Avere in se, mi ferìa per la fronte
Non di più colpo, che soave vento....
— Lo Sommo Bene che solo a se piace,
Fece l'uom buono, e il ben di questo loco
Diede per arra a lui d'eterna pace....
— Qui fu innocente l'umana radice
Qui primavera sempre ed ogni frutto etc.

Montibu'. Montibus, quam amputationem supra notavi.
Bacchatur: h. e. salit.
Variantibu' formis: - Di varie forme. Si «formis» interpretari possit de coloribus; redderes - *dai colori cangianti.*
Defessa vetusto: effoeta, ob senectutem - *spossata.*
Mutat enim etc.: quaecumque aetas mundi mutat vicem h. e. conditionem.

Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res; omnia migrant,
Omnia commutat Natura, et vertere cogit.
Namque aliud putrescit, et aevo debile languet:
Porro aliud concrescit, et e contemtibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius aetas
Mutat, et ex alio terram status excipit alter,
Quod potuit, nequeat: possit, quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata 'st, mira facie, membrisque coorta
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
Multa sine ore etiam, sine voltu caeca reperta;
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu:
Nec facere ut possent quicquam; nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.
Caetera de genere hoc monstra, ac portenta creabat:
Nequicquam; quoniam Natura absterruit auctum:
Nec potuere cupitum aetatis tangere florem.

(Ex lib. V, vers. 781-845).

XIII.

DE SILVESTRI PRISCORVM HOMINVM GENERE.

Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creâsset:
Et maioribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum, et validis aptum per viscera nervis;

Excipere: eleganter pro succedere.

Porro aliud etc. V. supra de instauratione rerum.

Nequeat etc. Si mundus mutat conditionem, ut nequeat edere, quod iam potuit, et ferat quae non tulit ante.

Coorta: portenta coorta facie mira, miris membris.

Vinctaque membrorum etc. Translate, impedita, adhaesu membrorum: *per impigliate membra.*

Nec facere ut etc. Ut neque possent etc.

Quod foret usus: quod esset utile.

Florem: *- il fior dell'età,*

Fundatum: firmum. *Illud in arvis* - Redd. *quello pe' campi.*

Aptum. V. supra D. Origo animalium.

Nec facile ex aestu, nec frigore quod caperetur,
Nec novitate cibi nec labi corporis ulla:
Multaque per coelum solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol, atque imbres dederant, quod terra creârat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum;
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, et quae nunc hiberno tempore cernis
Arbuta Poenicêo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam maiora ferebat:
Multaque praeterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla.
At sedare sitim fluvii fontesque vocabant:
Vt nunc montibus e magnis decursus aquaï
Claricitat late sitientia saecla ferarum.
Denique noctivagi silvestria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,

Labi: pro labe, h. e. morbo, vel damno.

Multa etc. Multa lustra etc. Lustra, h. e. quinquennia. Volventia absolute, italice, *volti.*

Volgivago etc: i. q. vago: - more volgivago ferarum ;- eleganter pro more ferarum volgivagarum. Notandum est illud « tractabant » quod, nativo sensu est: - *tirare, strascinare.*

Scibat: sciebat.

Molirier. Nos - *tentare.*

Placabat: satiabat. Horatius Sat. 8. L. II. quae prima iratum ventrem placaverit esca. Confer huic loco quae Ovidius Metamorph.

Poeniceo colore. Sic notantur fortasse mala punica, quae nos - *melagrane,* quae punico colore sunt.

At sedare etc.: vocabant sedare, poëtice.

Claricitat: clare citat, advocat.

Silvestria templa. Ut erant druidum templa apud Gallos germanosque.

Lubrica: i. q. rapida. Horat. de flumine Epod. 13. Lubricus et Simois. Exibant silvis fluenta rapido amne lavare, h. e. lavatum, profluvie larga lapides inde madentes, et stillantes humorem super musco viridi. *Proluvie larga - Con larghi sprazzi.*

Humida saxa super viridi stillantia musco:
Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, et spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atque cavos monteis sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra
Verbera ventorum vitare imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti:
Quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat,
Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Consectabantur sylvestria saecla ferarum
Missilibus saxis, et magno pondere clavae,
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris;
Setigerisque pares suibus sylvestria membra

Scatere etc.: - *scaturire e prorompere in largo campo;* scatere apud Lucretium plerumque est tertiae coniug.

Scibant tractare: tractare hic est eodem sensu quo Horatius, « tractant fabrilia fabri. » Epist. 2, L. I. et nos: *trattare*. Intellige: nondum artes metalli ex igne fundendi repertas esse.

Corpus vestire: vestire corpus suum vestibus ferarum.

Sed nemora etc. Virg. VIII. 314.

Haec nemora indigenae Fauni, nymphaeque colebant
Gensque virum truncis et duro robore nata;
Queis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros
Aut componere opes norânt aut parcere parto,
Sed rami atque asper victu venatus alebat.

Verbera ventorum: translate, multa cum emphasi. Et apud nos viget: *la sferza del caldo, la sferza del sole.* Ergo, vel probabilius, possum dicere: *la sferza dei venti.*

Bonum commune: - *il bene comune.*

Quod cuique etc.: quidquid praedae fortuna obtulerat, id quisque ferebat. « Obtulerat - proprie dictum de fortuna.

Sponte sua doctus: h. e. a natura doctus: valere h. e. vires sumere. Confer quae habet Horat. Sat. III, L. 1, v. 99.

Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum et turpe pecus glandem atqua cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis quae post fabricaverat usus.

Missilibus saxis: - *scagliando pietre.*

Multaque vincebant etc.: pugnando vincebant multas feras, paucas vitabant, quo minus occiderentur, si latere vellent.

Nuda dabant terrae nocturno tempore capti,
Circum se foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno, Solemque per agros
Quaerebant pavidi, palantes noctis in umbris:
Sed taciti respectabant, somnoque sepulti,
Dum rosea face Sol inferret lumina coelo.
A parvis quod enim consuêrant cernere semper
Alterno tenebras, et lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam,
Nec diffidere, ne terras aeterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine Solis.
  Sed magis illud erat curae, quod saecla ferarum
Infestam miseris faciebant saepe quietem:
Eiectique domo fugiebant saxea tecta
Setigeri suis adventu, validique leonis,
Atque intempesta cedebant nocte paventes
Hospitibus saevis instrata cubilia fronde.
  Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia saecla
Dulcia linquebant labentis lumina vitae.
Vnus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva feris praebebat dentibus haustus:
Et nemora ac monteis gemitu, sylvasque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto.
At quos effugium servârat, corpore adeso,

Rosea face: - *con la face rosata, di rose.*
Non erat ut fieri posset. Pleonasmus. Non poterat fieri ut etc.
Infestam miseris. Nos: *funesta*: saxea tecta: *le petrose tane.*
Atque intempesta etc.: intempesta nocte: *a strane ore notturne.* Cedebant, idest, relinquebant, ultro dabant feris hospitibus, h. e. belluis.
Nec nimio plus etc. Videtur sensus: nec plures tum quam nunc moriebantur. Nam si multi a belluis devorati, non tam multi bello interfecti. Ita ex infra additis.
Vnus namque etc.: namque unus quisque eorum etc.
Haustus: quisque haustus a feris, - *ingoiato* -
Viva videns etc. Notanda haec series verborum atque harmonia: quisque videns viscera aliorum viva h. e. - *palpitanti* - sepeliri busto vivo, h, e. ventre ferarum. Marchetti:

. . . . . *in viva tomba*
Seppelir vive viscere veggendo.

nativa quidem atque ingenua mihi arridet species haec lucretiana.
Corpore adeso: h. e. *mozzicato, morsicato.*

Posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus orcum,
Donicum eos vita privârunt vermina saeva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa virûm sub signis millia ducta
Vna dies dabat exitio: nec turbida ponti
Aequora laedebant naves ad saxa, virosque.
Sed temere, incassum mare fluctibu' saepe coortis
Saevibat, leviterque minas ponebat inaneis;
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis:
Improba navigii ratio tum caeca iacebat.
Tum paenuria deinde cibi, languentia letho
Membra dabat: contra nunc rerum copia mersat.
Illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
Vergebant; nunc dant aliis sollertius ipsi.
Inde casas postquam, ac pelleis, ignemque parârunt,
Et mulier coniuncta viro concessit in unum;

Super ulcera etc.: - sulle maligne ulceri tetre le man tremanti, in voce orrenda e fiera solea chiamar la morte.

Quid volnera vellent: quid ferrent vulnera.

At non multa etc. Concludit sententiam, quam posuerat: moriebantur plerique a belluis occisi, sed non multi bello cadebant.

Laedebant: allidebant, iactabant.

Temere, incassum, mare etc. Temere i. q. italice - *ordinariamente, d'ordinario:* incassum, h. e. in vacuum, nam cassus est i. q. vacuus, cui respondet italice - *a vuoto.* - Frustra plus indicat et sensum habet fallendi: alii legunt: mare frustra saepe coortum.

Leviterque: h. e. facile. Sic mare praebebat imaginem pueruli, de quo Horatius: iram colligit ac ponit temere et mutatur in horas. Ad Pis.

Pellacia etc.: a pellicio. Pellacia subdola - *allettamento lusinghiero.* - Pellicere in fraudem - *sedurre,* vel, *trarre in inganno.* Ridentibus undis, - *col sorriso delle onde.*

Navigii ratio. Ars nautica, improba, h. e. audax. Coeca, metonym. pro ignota. Horatius de primo nauta. Illi robur et aes triplex Circa pectus erat qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus nec timuit praecipitem Africum, etc. Od. 3, l. 1.

Tum paenuria etc. Notanda est figura antitheton hoc sensu: deinde, h. e. propterea, tum penuria cibi homines absumebat, nullis repertis artibus; nunc rerum copia mersat etc. Nos: *affoga.*

Imprudentes: ignari: vergebant h. e. fundebant: sollertius, h. e. multa arte.

Castaque privatae Veneris connubia laeta
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam:
Tum genus humanum primum mollescere coepit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
Non ita iam possent caeli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, puerique parentum
Blanditiis facile ingenium fregêre superbum.
Tunc et amicitiam coeperunt iungere habentes
Finitima inter se, nec laedere, nec violare;
Et pueros commendarunt, muliebreque saeclum
Vocibus et gestu, cum balbe significarent,
Imbecillorum esse aequum miserier omnium.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni;
Sed bona, magnaque pars servabant foedera casti:
Aut genus humanum iam tum foret omne peremptum,
Nec potuisset adhuc perducere saecla propago.
At varios linguae sonitus Natura subegit
Mittere, et utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
Cum facit, ut digito, quae sint praesentia, monstrent.

Alsia: i. q. algida. Ignis repertus, quo calefierent, effecit ut non amplius ferre possent frigus sub tegmine coeli, h. e. sub dio - *sotto il celeste padiglione:* Foscolo. Mollescere: *infiacchire.*
Finitima: fortasse est translate pro consimiles easdem res.
Commendarunt etc.: Commendaverunt pueros puellasque vocibus et gestui, h. e. rudimentis artium et linguarum.
Imbecillorum etc.: h. e. debilium. Quae sententia humanitatem exprimit. Revera quid melius quam pueris opitulari ? quid pulcrius quam puerorum os balbum fingere? Horatius: Os tenerum pueri balbumque poëta figurat.
Non tamen etc. Sensus: nec inter omnes concordia poterat gigni: sed plerique, iidemque meliores, probi servabant foedera; alioquin, sine ista multorum concordia genus humanum iam tum peremptum foret etc.
At varios linguae etc. Primum natura coëgit mittere sonitus varios linguae, nondum verba: deinde utilitas, h. e. - *il bisogno* - expressit nomina rerum. Horat. Sat. 3, l. I. Donec verba, quibus voces, sensusque notarent, nominaque invenere. Idem habet Vitruvius: Quotidiana consuetudine, vocabula, ut obtigerant, constituerunt: deinde significando res saepius in usu, ex eventu, fari fortuito coeperunt, et ita sermones inter se procreaverunt. III.
Non alia longe etc.: non secus ac ipsa infantia linguae, seu infans lingua, videtur protrahere etc.

Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti:
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infensus inurget.
At catuli pantherarum, scymnique leonum
Vnguibus, ac pedibus iam tum, morsuque repugnant,
Vixdum cum ipsis sunt dentes unguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, et a pennis tremulum petere auxiliatum.
  Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere 'st: nam cur hic posset cuncta notare
Vocibus, et varios sonitus emittere linguae,
Tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
  Praeterea, si non alii quoque vocibus usi
Inter se fuerant; unde insita notities est
Vtilitatis, et unde data 'st huic prima potestas,
Quid vellet, facere, ut scirent, animoque viderent?
Cogere item plureis unus, victosque domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla, suadereque surdis,
Quid facto esset opus; faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aures
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
  Postremo, quid in hac mirabile tantopere est re,
Si genus humanum, cui vox, et lingua vigerent,
Pro vario sensu varias res voce notaret,

Quam possit etc.: quam, pron. acc. pro ablat. ut plerumque Plautus. Abuti. h. e. valde uti.

Cornua nata etc.: priusquam cornua modo nata extent: *spuntino.*

Scymnique. Scymni dicuntur catuli leonum: *leoncini.*

A pennis tremulum etc.: exprimit illum alarum motum, quem nos: *starnazzare.* Petere auxiliatum tremulum ab alis, h. e. ab alis tremulis petere auxilium - *dalle ali tremolanti.*

Desipere est: i. q. absurdum est.

Quisse: quivisse.

Si non alii etc. Si non alii usi fuerant vocibus, unde iste unus potuit acquirere notitiam utilitatis verborum, et facultatem loquendi, ut alii perciperent quid ipse loquens significare vellet? Potestas facere etc. - *potestà di fare che etc.*

Quid facto opus esset: quid faciendum esset.

Pro vario sensu etc. Notare voce, h. e. - *distinguere con la voce* res varias, quae non idem significarent.

Cum pecudes mutae, cum denique saecla ferarum
Dissimileis soleant voces variasque ciere,
Cum metus, aut dolor est, et cum iam gaudia gliscunt?
Quippe etenim id licet e rebus cognoscere apertis.
  Inritata canum cum primum magna molossûm
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis,
Longe alio sonitu rabie districta minantur;
Et cum iam latrant, et vocibus omnia complent.
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos iactant pedibus, morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant;
Et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum
Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
  Postremo, genus alituum, variaeque volucres,
Accipitres, atque ossifragae, mergique marinis
Fluctibus in salsis victum vitamque petentes,
Longe alias alio iaciunt in tempore voces,
Et cum de victu certant, praedaque repugnant.
  Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta,
Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbreis

Ricta fremunt etc. Ricta, neut. plur. i. q. rictus, hiatus oris, *grugni.* - Mollia, h. e. flexibilia: irritata, h. e, in iram acta.

Rabie districta: - *stretto per la rabbia.*

Et cum iam etc. Iunge: minitantur sonitu diverso ab eo, quem edunt cum latrant etc.

Morsuque petentes etc.: et cum molossi petentes morsu catulos imitantur dentibus suspensis haustus teneros, h. e. actum bibendi leniter, - *i molli sorsi.*

Gannitu adulant. Gannitus vox canum seu querula seu gestiens: italice - *gagnolìo.* - Adulant proprie de canibus cauda blandientibus: *fanno le feste.*

Baubantur. Onomatopaeia. Cum pronuncias « baubantur » tibi videris audire illud canum « bau, bau. » Vide quid intersit inter vocabula: latrare, ex ira, magno impetu contra aliquid; nos: - *affollìo.* - Baubari exprimit potius vocis ictus distinctos et interruptos: *abbaiare.*

Submisso corpore. Nos: - *con la coda tra le gambe.*

Ossifragae: genus aquilae.

Praedaque repugnant: certant et pugnant de victu et praeda.

Cum tempestatibus etc.: mutant vices pro tempore anni; - *secondo le stagioni.*

Poscere, et interdum ventos aurasque vocare.
Ergo, si varii sensus animalia cogunt,
Muta tamen cum sint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis aequum 'st tum potuisse
Dissimileis alia, atque alia res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne forte requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim coelestibus incita flammis
Fulgere, cum caeli donavit plaga vapores.
Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
Aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis;
Et micat interdum flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur:
Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammae mollire vapore
Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, atque aestu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare novis monstrabant rebus, et igni,
Ingenio qui praestabant, et corde vigebant.
Condere coeperunt urbeis, arcemque locare
Praesidium reges ipsi sibi, perfugiumque:
Et pecudes, et agros divisere, atque dedere

Muta: h. e. rationali sermone carentia.

Illud in his etc. Refertur ad sequentia, de igne reperto. In his rebus, h. e. in tali hominnm conditione. Ne quaeras quis dederit mortalibus ignem: Fulmen dedit, edocuit uti igne.

Vapores. Nos: - *elettricismo*.

Aestuat. Translate: agitatur adeo, ut aliae arbores concipiant ignes. Sensus est: Fulmen detulit ignem in terras: et tamen alia de causa potest oriri flamma: ut cum arbor ramosa pulsa ventis, vacillans aestuat incumbens in ramos arboris alius, tum ignis extritus, h. e. expressus magnis viribus emicat, dum rami et stirpes mutua, h. e. mutuo, - *a vicenda*, - teruntur inter se.

Verberibus radiorum. Metaphora, de qua supra - Nos: *con la sferza dei raggi*.

Inque dies etc. deinde magis in dies. In victum etc. Eleganter ita, pro commutare victum et vitam priorem in novas res. Constructio: homines qui praestabant ingenio et vigebant corde, monstrabant commutare etc. *insegnavano mutare etc.*

Pro facie cuiusque, et viribus, ingenioque:
Nam facies multum valuit, viresque vigebant.
Posterius res inventa 'st, aurumque repertum,
Quod facile et validis, et pulchris demsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quamlibet et fortes, et pulchro corpore creti.
Quod si quis vera vitam ratione gubernet,
Divitiae grandes homini sunt, vivere parce
Aequo animo; neque enim 'st unquam paenuria parvi:
At claros se homines voluere esse, atque potenteis,
Vt fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti degere vitam:
Nequidquam; quoniam ad summum succedere honorem
Certantes, iter infestum fecêre viaï.
Et tamen e summo quasi fulmen deiicit ictos
Invidia interdum contentim in tartara tetra:
Vt satius multo iam sit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, et regna tenere.
Proinde, sine, incassum defessi sanguine sudent
Angustum per iter luctantes ambitionis;
Invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant
Plerumque, et quae sunt aliis magis edita cunque:

Pro facie: pro specie, seu pulcritudine.
Res: opes.
Sectam: - *la sequela.*
Quod si quis etc. Si quis velit instituere vitam ratione vera, h. e. bona, - *con buon metodo,* - sciat parcimoniam et frugalitatem esse homini divitias maximas. Confer Horatium, Sat. 2. L. II. Quae virtus et quanta, boni, etc.
Neque enim est etc.: h. e. paucae res numquam deserunt nec deficiunt. - *Il poco non fa mai penuria a chi ponga modo ai desiderii.* - Marchesi.
Viaï: translate, de vita.
Et tamen etc. Quamvis in honore summo positos tamen invidia, quasi fulmen, deiicit contemptim.
Parere quietum: animo aequo obedire.
Sanguine sudent. Et nos translate - *sudar sangue.* Sine, permitte, ut, si velint, tanto labore se exerceant.
Ambitionis: per iter ambitionis.
Invidia quoniam etc. Imago sumpta de arboribus fulguritis. Quae summa, h. e. altissima sunt, saepius vaporant, h. e. fumant, ictae, ceu fulmine, ab invidia. Horatius. Od. 10, l. II. feriuntque summos fulgura montes.

Quandoquidem sapiunt alieno ex ore: petuntque
Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis:
Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.
Ergo regibus occisis subversa iacebat
Pristina maiestas soliorum, et sceptra superba;
Et capitis summi praeclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem:
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad summam faecem turbasque redibat,
Imperium sibi cum, ac summatum quisque petebat.
Inde magistratum partim docuere creare,
Iuraque constituêre, ut vellent legibus uti:
Nam genus humanum defessum vi colere aevum,
Ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum
Sponte sua cecidit sub leges, arctaque iura:
Acrius ex ira quod enim se quisque parabat
Vlcisci, quam nunc concessum 'st legibus aequis;

Sensibus ipsis: h. e. proprio iudicio.

Nec magis etc: nec vitium hoc maius est, aut erit maius, quam fuit.

Praeclarum insigne: h. e. diadema - *l'onorato segno.*

Metutum: archaice a metuo - *temuto.* Bene notantur hic a poëta rerum publicarum conversiones. Primum valuere tyranni, cuiuslibet rei arbitri. Nos: -*re dispotici.* Deinde ex regum pernicie seditio et turbida omnia, seu quod graeci dicunt ἀναρχία, dum res ad tyrannos redeat. « Cupide conculcatur. » - *Pur troppo accade così: ciò che avanti era temuto, se cade in basso, cupidamente si calpesta. L'apologhetto del leone per vecchiaia e infermità affranto, ne è documento.* - Quicumque amisit dignitatem pristinam Ignavis etiam iocus est in casu gravi. - *E di fatto al leone moribondo anche l'asinello baldo e arrogante va a trar di calcio.* - Marchesi.

Faecem, turbasque. Translate - *in feccia e scompiglio.*

Summatum. Summatus, us. Idem quod summum imperium. - *Il supremo comando.*

Inde magistratum etc. Sic Romae, pulso Superbo, consules extitere. Enimvero Lucretium Vrbis motus et conversiones alludere intelligis.

Colere aevum: h. e. vivere.

Arctaque iura: h. e. sub rigidiori domino, qui iura daret graviora. Sane hic Noster praesensisse videtur inter tot reipublicae turbas, eos tyrannos, qui revera extiterunt.

Acrius ex ira. Namque quisque ex ira parabat ulcisci se maiori acerbitate quam etc.

Hanc ob rem 'st homines pertaesum vi colere aevum;
Vnde metus maculat poenarum praemia vitae.
Circumretit enim vis atque iniuria quemque,
Atque, unde exorta 'st, ad eum plerumque revertit:
Nec facile 'st placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia foedera pacis.
Etsi fallit enim Divûm genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes,
Aut morbo delirantes procrâxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.

(Ex lib. V, vers. 923-1159).

XIV.

DE ARTIBVS APVD VETERES.

Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile 'st ipsum per te cognoscere, Memmi.
Arma antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt,
Et lapides, et item sylvarum fragmina, rami,
Et flammae, atque ignes postquam sunt cognita primum:
Posterius ferri vis est, aerisque reperta:
Et prior aeris erat quam ferri cognitus usus;

Vnde metus etc.: unde metus poenarum etc.

Circumretit etc. Vide quam vere de turbidis rerum civilium tempestatibus!

Ad eum plerumque etc. Vnde iniuria cum vi exorta est, eo redit, in suum auctorem convertitur. Animadverte aliquem potentem rerum, cuius vis, iustitiae expers, mole ruit sua, a suis oppressa. Animadverte aliquos Europae nostrae reges.

Nec facile etc. Nec solet pacatam eligere vitam qui etc.

Etsi fallit etc. Etenim quamvis effugiat poenam deorum et hominum, tamen id poenae incurrit, quod diffidet eam fortunam sibi fore perpetuam.

Procraxe. Syncope, procraxisse a κράζω, clamo. Intellige: quippe cum multi dicantur delirantes morbo per somnos manifestare quid egerunt.

Arma antiqua etc. Confer Horatium. Sat. 3. L. I. quae apposui supra.

Quo facilis magis est natura, et copia maior.
Aere solum terrae tractabant, aereque belli
Miscebant fluctus, et volnera vasta serebant,
Et pecus, atque agros adimebant: nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda et inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis,
Versaque in opprobrium species est falcis ahenae,
Et ferro coepere solum proscindere terrae;
Exaequataque sunt creperi certamina belli.
Et prius est reppertum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc fraenis, dextraque vigere;
Quam biiugo curru belli tentare pericla:
Et biiugo prius est, quam bis coniungere binos,
Et quam falciferos inventum ascendere currus.
Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt volnera Poeni
Sufferre, et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
Horribile humanis quod gentibus esset in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentârunt etiam Tauros in moenere belli,

Quo facilis magis etc.: quo magis facilis est natura aeris et maior eius copia. Facilis, h. e. tractabilis.

Miscebant fluctus: translate: catervas aeratas ingruentes bello fluctus appellat. Manzoni:

le mobili
Tende e i percossi valli
E il lampo dei manipoli
E l'onda dei cavalli etc.

Creperi: creperus adiectivus i. q. dubius, anceps: vox est ab antiquis tantum usurpata. Exaequata etc. - *pareggiate le forze.*

Et prius est etc.: primum consultum fuit ut armatus miles conscenderet in equum: *montare a cavallo sulla schiena.*

Biiugo curru: - *cocchio a pariglia.*

Et biiugo etc.: et antiquius fuit iungere equos binos quam iungere quaternos.

Falciferos currus: - *carri falcati,*

Inde boves Lucas. Bos Lucas dictus a Romanis rudibus elephantus: quam belluam primum bello Pyrrhi viderant in Lucania, unde fortasse illud nomen adiectum.

Anguimanos: sic dicuntur elephanti propter proboscidis, quae eorum manus repraesentat, agilitatem in quamvis partem, anguium instar.

Expertique sues saevos sunt mittere in hosteis;
Et validos Parthi prae se misere leones
Cum ductoribus armatis, saevisque magistris,
Qui moderarier hos possent, vinclisque tenere;
Nequicquam: quoniam permista caede calentes
Turbabant saevi nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas;
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, et frenis convertere in hosteis.
Inritata leae iaciebant corpora saltu
Vndique, et advorsum venientibus ora petebant:
Et nec-opinanteis a tergo diripiebant,
Deplexaeque dabant in terram volnere vinctos
Morsibus adfixae validis, atque unguibus uncis.
Iactabantque sues tauri, pedibusque terebant;
Et latera, ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
At validis socios caedebant dentibus Apri;
« Tela infracta suo tinguentes sanguine saevi:
« In se fracta suo tinguentes sanguine tela:
Permistasque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transversa feros exibant dentis adactus
Iumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequicquam: quoniam a nervis succisa videres

Permixta caede etc.: rabidi ob vulnera accepta et reddenda hostibus.

Mu cere: h. e. palpare.

Inritata leae etc. : leae rabidae insiliebant, et petebant ora equorum ex adverso venientum

Deplexaeque etc. Leae deplexae, h. e. implexae, adfixaeque. Particula *de* videtur mihi indicare belluam pendentem ex latere equi, quem morsu tenet, quasi quod nos - *attanagliando*. - Inde affixae morsibus, - *affigendo i morsi*.

Iactabantque sues etc. Tauri agitabant, sectabantur sues.

Hauribant etc.: hauribant, h. e. fodiebant cornibus subter ventres equorum.

Nam transversa etc. Ruebant et viri, equites peditesque: nam iumenta, idest equi, transversa, vitabant feros adactus dentium ferarum, - *le avventate zanne*, - et ideo equites ruebant: aliter iumenta prolapsa in terram erectis pedibus ventos petebant, - *percotevano l'aere*.

A nervis succisa: caesis nervis pedum.

Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Sic, quos ante domi domitos satis esse putabant,
Efferviscere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu;
Nec poterant ullam partem redducere eorum;
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Vt nunc saepe boves Lucae ferro male mactae
Diffugiunt, fera facta suis cum multa dedere.
Sic fuit ut facerent: sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo praesentire, atque videre,
Quam commune malum fuerat, foedumque futurum;
Et magis id possis factum contendere in omni,
In variis mundis varia ratione creatis,
Quam certo, atque uno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
Qui numero diffidebant, armisque vacabant.
  Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
Textile post ferrum 'st; quia ferro tela parantur:
Nec ratione alia possunt tam laevia gigni
Insilia, ac fusi, et radii, scapique sonantes.

Terram consternere: h. e. operire, multa simul iumenta, tegere late terram.

Efferviscere: - *infuriare*.

Mactae: « mactare » dicitur de animalibus in sacrificiis. Male mactae - *mal feriti*.

Fera facta: perniciem.

Sic fuit ut facerent Sic mos fuit: hic mos praeliandi fuit.

Sed vix adducor etc. - *Ma appena m' induco a questo, mi persuado*, - ut non quierint, h. e. quiverint praesentire quam commune malum esset bellum.

Et magis id etc. Tuque poteris affirmare id malum evenisse in omnibus terrarum plagis, et in variis populis, moribus et indole diversis, magis quam in uno quovis terrarum populo.

Quam dare etc.: h. e. quam ut darent hostibus unde gemerent, et sibi, unde perirent.

Nexilis ante etc. Nexilis vestis est quae nectitur seu colligitur ex pluribus modulis; et fortasse poëta intelligit nexilis, i. q. sutilis, - *cucito*. - Contra « tegmen testile » est quod texitur, - *il tessuto*.

Insilia etc. Insilia sunt binae regulae pedibus textorum suppositae, quae alternis depressae stamen diducunt aut contrahunt,

Et facere ante viros lanam Natura coëgit,
Quam muliebre genus, nam longe praestat in arte,
Et sollertius est multo genus omne virile:
Agricolae donec vitio vertere severi,
Vt muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipsi potius durum sufferre laborem;
Atque opere in duro durarent membra, manusque.
At specimen sationis, et insitionis origo
Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix.
Arboribus quoniam baccae, glandesque caducae
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Vnde etiam libitum 'st stirpeis committere ramis;
Et nova defodere in terram virgulta per agros:
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.
Inque dies magis in montem succedere sylvas
Cogebant, infraque locum concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque laeta
Collibus, et campis ut haberent, atque olearum
Caerula distinguens inter plaga currere posset
Per tumulos et convalleis, camposque profusa:
Vt nunc esse vides vario distincta lepore

ab insiliendo dicta, quia in ea textor insilit. Italici appellant - *calcole*, *calcoliere*, - quod derivant a verbo - *calcare*. - Radii - *la spola*. - Scapi sunt regulae transversae, quarum pulsu tela densatur et obstringitur, italice, - *cassa*: - scapi autem intercludunt pecten - *il pettine*.

Vitio vertere: putavere nefas esse se viros tam tenuem laborem exercere, adeo ut traderent mulieribus texendi artem, atque ipsi potius etc.

Specimen sationis: h. e. - *il primo saggio etc.*

Caducae: h. e. delapsae.

Tempestiva examina etc. translate: multitudinem pullorum et nos: - *i polloni, i talli.*

Stirpes: - *gl'innesti.*

Fructusque feros: - *le frutta selvatiche, raddolcire.*

In montem succedere: silvas occupare montes, cultosque agros per planiciem etc.

Collibus: ut haberent per colles etc.

Inter plaga etc. Tmesis, plaga caerula olearum posset intercurrere discriminans agros. Plaga h. e. ordo, series: *i filari.*

Omnia, quae pomis intersita dulcibus ornant;
Arbustisque tenent felicibus obsita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam laevia carmina cantu
Concelebrare homines possent, aureisque iuvare.
Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas,
Inde minutatim dulceis didicere querelas
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Avia per nemora, ac sylvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia:
Sic unum quidquid paullatim protrahit aetas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Haec animos ollis mulcebant atque iuvabant
Cum satiate cibi: nam tum sunt omnia cordi.
Saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus iucunde corpora habebant:
Praesertim cum tempestas ridebat, et anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,

Ornant etc : agricolae ornant arva omnia intersita pomis; - *intersecate con filari di pomi.*

Obsita circum: tenent arva obsita arbustis circum; - *fiancheggiati.*

At liquidas etc. Vox liquida est apte suaviterque fluens, vel potius canora. Horatius, Od. 24. L. I. Melpomene, cui liquidam pater vocem cum cithara dedit. Intellige: imitatio liquidae vocis avium, h. e. cantus, prior est arte carminum, seu arte modulandi carmina cantu. Liquidas avium voces dixeris: « *canore voci.* »

Laevia: h. e. delicata, expolita.

Et cava etc. Harmoniam huius versus facile sentis imitari Zephyri sibilum... « Per sibila cava » poëtice pro per sibila calamorum cavorum.

Protrahit aetas: aetas paulatim protrahit in medium, et ratio eruit in lucem res qualescumque.

Cum satiate cibi etc.: h. e. post cibum: tum enim ea solatia magis delectant.

Prostrati etc.: recubantes: - *sdraiati.*

Iucunde corpora etc. - *Stavano in giolito.* - *Redi.*

Tempestas ridebat: h. e. serenus aër. - *Il bel tempo arrideva;* - et anni tempora - *la stagione*; - pingebant floribus viridantes herbas. Sic Dantes: *non avea pur natura ivi dipinto etc.*

Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni,
Consuerant; agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis
Floribus, et foliis lascivia laeta monebat;
Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Vnde oriebantur risus, dulcesque cachinni,
Omnia quod nova tum magis haec, et mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
Ducere multimodis voces, et flectere cantus;
Et supera calamos unco percurrere labro:
Vnde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur,
Et numerûm servare genus didicere; neque hilo
Maiorem interea capiunt dulcedini' fructum,
Quam sylvestre genus capiebat Terrigerarum.
Nam quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res illa reperta
Perdit, et immutat sensus ad pristina quaeque.
Sic odium coepit glandis: sic illa relicta
Strata cubilia sunt herbis, et frondibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contempta ferina 'st
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,

Lascivia laeta: - *l'ebbrezza del piacere*, - monebat, h. e. poscebat redimire etc.

Extra numerum: h. e. abnormi motu, sine arte. -

Duriter: - *rozzamente*.

Pellere matrem: h. e. pulsare pedibus terram psallendo. Horatius Od. 18. L. III. Gaudet invisam pepulisse fossor ter pede terram.

Cachinni: dulces cachinni sunt fortasse, non risus immodici, sed quod nos dicimus: - *amabili celie*.

Omnia quod etc.: eo quod haec omnia tum nova erant, et ideo mira.

Solatia somni. Nos - *compenso*. - Deficiente somno, iucunde se habebant his lusibus.

Supera: supra. Tuentur, h. e. retinet haec.

Et numerûm: et numerorum genus. - *dei ritmi*.

Nam quod adest etc.: quod praesto est, quod praesens est, maxime placet, nisi ante etc.

Fere melior etc.: res paullo melior et posterior reperta aufert vel mutat sensus rei pristinae.

Invidia tali etc.: quam vestem primo repertam reor tantam

Vt lethum insidiis, qui gessit primus, obiret;
Et tandem inter eos distractum, sanguine multo
Dispersisse, neque in fructum convertere quîsse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum, et purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant:
Quo magis in nobis (ut opinor) culpa residit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil laedit veste carere
Purpurea, atque auro, signisque ingentibus apta;
Dum plebeia tamen sit, quae defendere possit:
Ergo hominum genus incassum, frustraque laborat,
Semper et in curis consumit inanibus aevum;
Nimirum, quia non cognovit, quae sit habendi
Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos commovit funditus aestus.
At vigiles mundi magnum et versatile templum
Sol et luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Iam validis septi degebant turribus aevum,
Et divisa colebatur, discretaque tellus:
Tum mare velivolum florebat navibu' pandis;
Auxilia, et socios iam pacto foedere habebant:
Carminibus cum res gestas coepere poëtae
Tradere; nec multo priu' sunt elementa reperta.

invidiam concitasse, ut qui primus ea usus est, occisus fuerit ab invidis per insidias.

Distractum: laniatum, discerptum: aspersisse vestem sanguine suo.

Apta: h. e. contexta.

Quae defendere posset: h. e, arcere frigus.

Quoad crescat etc.: et ignorat omnino quando voluptas minuetur.

At vigiles etc.: verum sol et luna, vigiles, h. e. custodes.

Lustrantes etc.: lustrantes circum templum versatile mundi h. e. ipsum mundum qui motu constanti vertitur in se.

Verti: immutari.

Rem: h. e. quidquid.

Discreta - distribuita.

Mare velivolum: Proprie velivolae, h. e. velis volantes sunt naves. Translate dicitur de mari quod navibus percurritur. - Foscolo: *Il navigante che veleggiò quel mar sotto l'Eubea.*

Elementa: literarum priu' sunt - h. e. prius sunt inventa.

Propterea quid sit prius actum respicere aetas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque agri culturas, moenia, leges,
Arma, vias, vesteis, et caetera de genere horum
Praemia, delicias quoque vitae funditus omneis,
Carmina, picturas, et daedala signa polire,
Vsus, et impigrae simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientes.
Sic unum quidquid paullatim protrahit aetas
In medium, ratioque in luminis eruit oras:
Namque alid ex alio clarescere corde videmus
Artibus, ad summum donec venêre cacumen.

(Ex lib. V, vers. 1280-1455).

XV.

DE FVLMINE.

Quod superest, quali natura praedita constent
Fulmina, declarant ictus, et inusta vapore
Signa, notaeque gràveis halantes sulfuris auras:
Ignis enim sunt haec, non venti signa, neque imbris.
Praeterea, per se accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis.
Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
Constituit natura minutis, mobilibusque
Corporibus, cui nil omnino obsistere possit:
Transit enim valide fulmen per septa domorum,
Clamor uti, ac voces; transit per saxa, per aera;

Signa: daedala signa sunt vel statuae vel vasa signis caelata.
Progredientes: experientia docuit homines paullatim progredientes - *progressivi* - pedetentim - *passo passo*.
Corde: videmus aliud crescere ex alio corde, h. e. e sinu rei alterius, artibus: h. e. in artibus, vel per artes - *con l'arte.*
Inusta vapore - dalla vampa abbronzate. - Signa, putem, sunt notae ipsae, quas fulmen relinquit in rebus a se ictis - *le tracce.*
Halantes sulphuris etc. - esalanti odore di zolfo.
Cum primis ignibus: h. e. subtiliorem primis ignibus, vel subtilem aeque ac prima elementa ignis.
Per septa domorum: in penetralia, vel - *nei serrati palagi.*

Et liquidum puncto facit aes in tempore, et aurum.
Curat item ut vasis integris vina repente
Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasis,
Adveniens calor eius ut insinuatur in ipsum; et
Mobiliter solvens differt primordia vini;
Quod solis vapor aetatem non posse videtur
Efficere: usqueadeo pollens fervore corusco,
Tanto mobilior vis, et dominantior haec est.
  Nunc ea quo pacto gignantur, et impete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere turreis,
Disturbare domos, avellere tigna, trabeisque
Et monumenta virûm demoliri, atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim:
Caetera de genere hoc qua vi facere omnia possint,
Expediam, neque te in promissis plura morabor.
  Fulmina gignier e crassis, alteque putandum'st
Nubibus extructis; nam coelo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt aëra nubes
Vndique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, et magnas caeli complesse cavernas:
Vsqueadeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent atrae formidinis ora superne,
Cum commoliri tempestas fulmina coeptat.

Et liquidum puncto etc.: et in puncto tempore h. e. puncto temporis, liquidum facit, nos - *liquefà*.
Curat item ut etc.: item efficit ut etc.
Conlaxat rareque facit - *dilata e rarefà* - lateramina, h. e. vasorum latera, vel parietes. Redderem - *le doghe*.
Mobiliter solvens etc. - *decompone col moto gli elementi del vino*.
Aetatem: accus. temp. h. e. aetate - *con l'età*.
Atque ciere: atque ciere et exanimare homines - *riscuotere, destare, e uccidere*.
Fulmina gignier. Putandum est fulmina gigni e nubibus crassis et alte exstructis.
Hoc fieri: sic gigni fulmen, h. e. e nubibus, manifestum est exinde, quia cum fulgurat etc.
Liquisse: tenebras omnes deseruisse Acherunta.
Atrae formidinis ora: sive nubes, sive fulgores inter nubes horrendi visu - *forme di paurosa sembianza*.

Praeterea, persaepe niger quoque per mare nimbus,
Vt picis e coelo demissum flumen, in undas
Sic cadit, et fertus tenebris procul, et trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cumprimis ipse repletus;
In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum'st
Tempestatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, nisi inaedificata supernae
Multa forent multis exemto nubila sole:
Nec tanto possent haec terras opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,
Si non extructis foret alte nubibus aether.
His igitur ventis, atque ignibus omnia plena
Sunt; ideo passim fremitus, et fulgura fiunt:
Quippe etenim supera docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; et multa necesse'st
Concipere ex solis radiis, ardoreque eorum.
Hic ubi ventus eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expressit multa vaporis
Semina, seque simul cum eo commiscuit igni;
Insinuatus ibi vortex versatur in alto,
Et calidis acuit fulmen fornacibus intus:
Nam duplici ratione accenditur, ipse sua nam
Mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus incessit; maturum tum quasi fulmen

Fertus tenebris: fertus ab inusit. fercio, i. q. effertus, oppletus.
Cum primis etc.: ipse nimbus praecipue ventis repletus.
Supera: supra.
Inaedificata: h. e. super aedificata - *ammassate* - nisi nubila multa forent inaedificata multis nubibus, sole excluso.
Camposque natare - h. e. *dilagarsi.*
Si non exstructis etc.: si aether non foret exstructus nubibus.
Vaporis semina: fortasse quae nos: *elementi elettrici.*
Forte locum quemvis etc.: Tmesis, cogit forte in unum quemvis locum.
Insinuatus. etc.: un vortice profondamente incavato circola.
Ipse sua nam etc.: nam ipse vortex calescit tum mobilitate sua, tum ex contactu ignis.
Tum quasi fulmen etc.: tum ardor percitus - *il lampo* - fertur

Perscindit subito nubem, ferturque coruscis
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:
Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente
Opprimere ut caeli videatur templa superne.
Inde tremor terras graviter pertentat, et altum
Murmura percurrunt coelum; nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis imber, et uber,
Omnis uti videatur in imbrem vertier aether
Atque ita praecipitans ad diluviem revocare.
Tantus discidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti sonitus cum provolat ictu.
Est etiam cum vis extrinsecus incita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem;
Quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine Fulmen:
Hoc fit idem in parteis alias, quocunque tulit vis.
Fit quoque ut interdum venti vis missa sine igni,
Ignescat tamen in spatio, longoque meatu,
Dum venit, amittens in cursu corpora quaedam
Grandia, quae nequeunt pariter penetrare per auras;
Atque alia ex ipso conradens aëre portat
Parvula quae faciunt ignem commista volando:

lustrans etc., postquam fulmen quasi maturum perscindit subito nubem.

Displosa repente etc.: ut videatur sonitus opprimere templa coeli displosa repente - *a un tratto schiantate.*

Graviter pertentat - *fortemente scuote.*

Murmura percurrunt - *un mormorio percorre.*

Mittitur ardenti sonitus etc.: Sonitus metonym. Pro ipso fulmine. Et nos - *il tuono.*

Est etiam cum etc. Accidit etiam ut etc. vel: fulmen oritur etiam cum etc.

Longoque meatu: h. e. diutino motu.

Corpora quaedam grandia: h. e. crassiora.

Quae faciunt ignem etc.: quae commixta, volando faciunt ignem. Huic doctrinae respondent quae nuper docuit Secchius, astronomus nobilis - *Abbiamo (di questa incandescenza) un esempio ovvio in quelle pietre provenienti dallo spazio dette aeroliti; le quali, quando cadono sulla terra, anche attraversando semplicemente la nostra atmosfera, s' infiammano e si volatizzano pel calore in cui si trasforma la forza viva da cui sono animate. Così deve essere accaduto nella massa solare all' atto della sua*

Non alia longe ratione, ac plumbea saepe
Fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipsius plagae vis excitet ignem,
Frigida cum venti pepulit vis missa sine igni:
Nimirum quia cum vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa vaporis,
Et simul ex illa, quae tum res excipit ictum,
Vt lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis;
Nec quod frigida vis sit ferri, hoc secius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum:
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit si forte, et idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Esse potest, ex quo tanta vi immissa superne'st:
Quin prius in cursu si non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commista calore.
Mobilitas autem fit fulminis, et gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt sic fulmina lapsu,
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis

*formazione, per mezzo della caduta delle parti lontane sul primo nucleo centrale. Sul sole. (*Lettura del 20 Marzo 1870).

Fervida fit glans etc. Glans' plumbea, h. e. globulus plumbeus, quem loro alligatum in hostem torquebant. Est fere quod apud nos - *la palla da archibuso* - Fervida fit - *si affuoca.*

Multa rigoris etc.: h. e. amittens multa corpora rigida.

Ipsius plagae vis - *la stessa forza dell'urto.*

Nimirum quia etc.: Nam certe, quia, cum ea vis perculit ictu vehementi, elementa vaporis, h. e. ignes, possunt extrudi ex ipso ictu.

Ex illa etc.: ex illa re, quae res etc.

Calidi fulgoris: iunge: semina calidi fulgoris.

Nec temere omnino etc. Nec vis venti potest esse temere h. e. - *d'ordinario* - omnino frigida, postquam immissa est superne tanto impetu.

Quin prius etc.: quinimmo, si prius in cursu non concipit ignem, at tamen tepefacta etc.

Nubibus ipsa quod etc. Tam rapidum et gravi ictu est fulmen eo quod vis eius prius colligit se, h. e. densatur, et vires eundo acquirit: inde ubi nubes non potuit capere auctum impetis, vis ignea disploditur etc. Dantes: Par. 23

Come fuoco di nube si disserra
Per dilatarsi, sì che non vi cape,
E fuor di sua natura in giù si atterra.

Conligit, et magnum conamen sumit eundi:
Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis, atque ideò volat impete miro,
Vt validis quae de tormentis missa feruntur.
Adde quod e parvis, ac laevibus est elementis:
Nec facile'st tali naturae obsistere quicquam;
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offensibus in remorando
Haesitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura pondera deorsum
Omnia nituntur: cum plaga sit addita vero,
Mobilitas duplicatur, et impetus ille gravescit:
Vt vehementius, et citius, quaecunque morantur
Obvia, discutiat plagis, itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit impete, sumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quae crescit eundo,
Et validas auget vireis, et roborat ictum:
Nam facit, ut, quae sint illius semina cunque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia coniiciens in eum volventia cursum.
Forsan et ex ipso veniens trahat aëre quaedam
Corpora, quae plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidis quia travolat ignis:

Buti. E così dimostra onde viene la fulgure, che è vapore secco involto nella nube; et accendendovisi, si dilata e cresce tanto che la nube nol può contenere, unde si squarcia et apresi, ed allora tuona, e lo foco n'esce fuora e cade inverso la terra, benchè la natura sua sia di montare in alto.

In eumdem locum Dantis, qui mire consonus est Lucretiano dicto, refert Tommaseus - *Dal vapore secco della nuvola si genera fuoco, lo quale perchè è di più rara forma occupa più luogo, e conviene per forza uscire della detta nuvola, per forza dico, perchè è fredda, strigne etc.* Ott.

In remorando: h. e. cum mora - *non trattiensi ritardato da molti urti* - nempe quia penetrat per rara viarum, h. e. per vias vacuas, per spatia.

Itinerque sequatur: continuet iter.

Quae sint illius etc.: quaecumque sint semina illius.

E regione: h. e. recta via - *a dirittura.*

Omnia coniicens: coniiciens omnia semina in eum cursum.

Intendunt: h. e. augent.

Foraminibus liquidis - *per gli aerei spazi.*

Multaque perfringit, cum corpora fulminis ipsa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
  Dissolvit porro facile aes, aurumque repente
Confervefacit; e parvis quia facta minute
Corporibus vis est, et laevibus ex elementis,
Quae facile insinuantur, et insinuata repente
Dissolvūnt nodos omneis, et vincla relaxant.
  Autumnoque magis stellis fulgentibus apta
Concutitur coeli domus undique, totaque tellus;
Et cum tempora se veris florentia pandunt:
Frigore enim desunt ignes, ventique calore
Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter utrumque igitur cum coeli tempora constant,
Tum variae causae concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus, et aestum
Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nobis,
Vt discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus, et ventis furibundus fluctuet aër.
Prima caloris enim pars, et postrema rigoris,
Tempus id est vernum; quare pugnare necesse'st

Corpora fulminis etc.: cum corpora fulminis, h. e. eius elementa nanciscuntur elementa rerum, ubi ea elementa inter se nectuntur.

Confervefacit - *affuoca.*

E parvis quia etc.: quia natura huiusmodi ignis constans e parvis corporibus: h. e. e simplicibus elementis et perexiguis, facile insinuatur etc.

Stellis fulgentibus apta. Apta h. e. connexa, ut notavi alibi: *la celeste volta tempestata di fiammanti astri.* - Explicat nunc Lucretius qua de causa per inaequales autumnos et verno tempore crebriora sint fulgura.

Frigore enim: namque hieme etc.

Tempora constant etc.: iis temporibus, quae constant inter hiemem et aestatem, variae sunt caussae fulminis conflandi.

Nam fretus ipse etc.: translate, fretus, h. e. fretum idest tempus medium inter frigora et aestus.

Vt discordia sit rerum: discordia frigoris et aestus - *per essere discordi gli elementi.* - Vide supra quae Tommaseus retulit in Dantem.

Prima caloris etc.: nam primi calores et frigora extrema continentur eo tempore, quod ver dicimus: ideo vere novo luctantur frigora et aestus: rursum calor extremus et primum frigus autumno miscentur: inde iterum pugnae, veluti anni bella.

Dissimiles inter se res, turbareque mistas.
Et calor extremus primo cum frigore mistus
Volvitur, autumni quod fertur nomine tempus:
Hîc quoque confligunt hiemes aestatibus acres.
Propterea sunt haec bella anni nominitanda:
Nec mirum'st in eo si tempore plurima fiunt
Fulmina, tempestasque cietur turbida coelo,
Ancipiti quoniam bello turbatur utrinque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoreque misto.

(Ex lib. VI, vers. 218-376).

XVI.

PESTILITATIS DESCRIPTIO.

Nunc, ratio quae sit morbis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumque catervis,
Expediam. Primum multarum semina rerum
Esse supra docui, quae sint vitalia nobis:
Et contra, quae sint morbo, mortique necesse'st
Multa volare; ea cum casu sunt forte coorta,
Et perturbarunt coelum, fit morbidus aër.
Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque,
Aut extrinsecus, ut nubes nebulaeque superne
Per coelum veniunt, aut ipsa saepe coorta
De terra surgunt, ubi putrorem humida nacta'st,
Intempestivis pluviisque, et solibus icta.
Nonne vides etiam coeli novitate, et aquarum
Tentari, procul a patria quicunque domoque

Nunc ratio quae etc. Ratio i. q. caussa, origo.

Morbida vis: morbidus i. q. morbum inferens - *infezione* - Vnde coorta repente possit conflare cladem. *Conflare* sensu proprio accipiendum est pro exhalare.

Primum multarum etc.: docui elementa, multarum rerum alere vitam nostram, et alia semina esse nobis morborum caussas.

Putrorem: i. q. putredinem.

Intempestivis - *strane.*

Tentari: i. q. *essere affetti.*

Adveniunt? ideo quia longe discrepat aër.
Nam quid Britannum coelum differre putamus,
Et quod in Aegypto'st, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto'st differre a Gadibus, atque
Vsque ad nigra virûm, percoctaque saecla calore?
Quae cum quatuor inter se diversa videmus,
Quattuor a ventis, et coeli partibus esse,
Tum color et facies hominum distare videntur
Largiter, et morbi generatim saecla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque praeterea usquam.
Atthide tentantur gressus, oculique in achaeis
Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id aër.
Proinde ubi se coelum, quod nobis forte alienum'st,
Commovet, atque aër inimicus serpere coepit:
Vt nebula, ac nubes paullatim repit, et omne
Quà graditur, conturbat, et immutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum cum venit denique coelum,
Corrumpat, reddatque sui simile atque alienum.
Haec igitur subito clades nova, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus:
Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso;

Britannum: h. e. in Britannis.
Qua mundi claudicat etc.: in Aegypto, cui regioni polus arthicus claudicat, idest, deficit, non apparet altus, ut nobis.
Nigra virûm: saecla nigra virum fortasse reddas: *razze dei Negri.*
Quattuor a ventis - dai quattro venti. - Nam Britannia ad septemtrionem, Aegyptus et Lybia ad meridiem, Pontum ab oriente, Gades ad occidentem.
Generatim saecla etc.: et tenere h. e. esse morborum genera varia pro populis.
Elephas morbus: aliter, elephantiasis est genus morbi, quasi lepra.
Atthide: i. q. in Attica.
Paullatim repit: translate - *trascorre.*
Coactat: frequent. a cogo.
Atque alienum: subaudi, nobis, infestum.
Persidit: incumbit.
Manet vis: h. e. - *l'influsso.*

Et cum spiranteis mixtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse'st.
Consimili ratione venit bubus quoque saepe
Pestilitas, etiam pecubus balantibus aegror;
Nec refert utrum nos in loca deveniamus
Nobis adversa, et coeli mutemus amictum:
An coelum nobis ultro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti:
Quod nos adventu possit tentare recenti.
Haec ratio quondam morborum, et mortifer aestus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
Nam penitus veniens Aegypti e finibus ortus,
Aëra permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio, caput incensum fervore gerebant:

Mixtas hinc: cum spirantes ducimus auras morbo implicitas.

Mutemus amictum etc.: Amictum coeli, translate - *il celeste padiglione.*

Cruentum: infectum.

Haec ratio quondam etc. Orditur ita Lucretius luculentam illam pestilitatis descriptionem, quae pestilitas, exardescente peloponnesiaco bello Athenis grassata est. Tres huiusmodi descriptiones tibi, humane adolescens, praebet romana poësis, quas velim conferres. Vide Virgilium Georg. III. 478. Deinde Ovidium Metam. L. VII., quibus addas quae pauca dabit Lucanus L. VI. 88. Non temere effictum putes hunc versum, *haec ratio etc.* in quo conflictum sillabarum *am rum mor*, squallorem spargit et tristitiam sonat. Confer illud Virgilianum: Hic quondam morbo coeli miseranda coorta est - qui suavitatem in ipsa moestitia redolet. Funestos reddidit - *Funestò.*

Incubuit: translate et mali ominis, ab incubo i. q. oppressit. Horatius, Od. 3, L. I. Macies et nova febrium Terris incubuit cohors.

Pandionis: qui fuit rex Athenis.

Catervatim - a masse - Virgilius: Jamque catervatim dat stragem atque aggerat ipsis In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo.

Caput incensum etc. Satis constat Nostrum a Thucidide hausisse: ait enim graecus - *erano all' improvviso compresi da veementi caldure al capo, da rossezza e infiammazione d' occhi, e nell'interno la gola e la lingua diventavano tostamente sanguigne, e mandavano alito puzzolente fuor dell' usato.*

Et dupliceis oculos suffusa luce rubenteis.
Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, et ulceribus vocis via septa coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu:
Inde, ubi per fauceis pectus complerat, et ipsum
Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris,
Omnia tum vero vitaï claustra lababant:
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.
Atque animi prorsum vires totius, et omne
Languebat corpus, lethi iam limine in ipso:
Intolerabilibusque malis erat anxius angor

Suffusa luce rubenteis: h. e. sanguineo colore perfusi - *aspersi di color sanguigno.*

Coibat etc.: via vocis, h. e. gula, circum tumens angebatur: *coibat - si stringeva* - Eadem Virgilius aliter: quatit aegros Tussis anhela sues et faucibus angit obesis. Idemque Maro habet: it naribus ater Sanguis et obsessas fauces premit aspera lingua. Quo pacto Virgilius Lucretium imitatus sit, audi quae sentiat vir nobilis. *Che Virgilio tanto profittasse da Lucrezio, quanto Ella crede, io per vero non saprei credere: per questa fra le altre ragioni, che a molto profittare richiedesi affetto, nè quel gentiluomo è tale che il buon Virgilio potesse amarlo. Alla sua vereconda modestia doveva far urto quella millanteria d'empietà, la quale sente del* - Miles gloriosus - *quel disdegno quasi convulso dimostrante lo sforzo dell'anima, che si dibatte per sottrarsi al vero e a se stessa....... Non neghiamo bellezze ai suoi versi; come non son da negare anzi da additare con animo consolato negli uomini men savi e men buoni i propositi savi e buoni, e intendimenti e atti talvolta di virtù generosa. E Virgilio avrà di tali bellezze approfittato certamente appurandole però e di se stesso nobilitandole* - Tommaseo, *Archivio Italiano, 3 Dispensa 1871.*

Atque animi interpres etc. Horatius ad Pis.: post effert animi motus interprete lingua - *la lingua rivelatrice dell' anima.* Sic Lactantius: linguam cogitationis interpretem.

Debilitata malis etc.: tria ponit - *debilitata dal male, torpida al moto e al tatto ruvida.*

Inde ubi etc. Inde ubi morbida vis per fauces compleverat pectus, et confluxerat etc.

Claustra lababant: Translate - *le forze cedevano.*

Rancida quo etc.: Enimvero in hoc versu mihi verba sonant cadavera tabo fluentia, lubrica, et putida, eiecta domibus! *Rancida*, h. e. *marci.*

Anxius angor - asma d'angina.

Assidue comes, et gemitu commista querela,
Singultusque frequens noctem persaepe, diemque,
Conripere assidue nervos et membra coactans,
Dissolvebat eos, defessos ante, fatigans.
Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam ferviscere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, ut est per membra sacer cum diditur ignis.
Intima pars homini vero flagrabat ad ossa:
« Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus intus;
Nil adeo posset cuiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum et frigora semper
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.
Multi praecipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente:
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Aequabat multum parvis humoribus imbrem.

Gemitu commista etc. Quanta haec legenti miseratio oboritur! languentum gemitus et querelae inter singultus, et angores interceptae raucisonae.

Singultusque frequens etc. Singultus frequens assidue coactans corripere - *Un singulto frequente, coartante a contrarre senza posa muscoli e membra, disfacevagli spossandogli già spossati.*

Nec nimio cuiquam etc.: nec posses tueri, per fig. catachresim, pro, nec sensisses cutem ardere nimis.

Proponere tactum etc.: h. e. esse tepidam tactu.

Vlceribus quasi inustis: ob ulcera quasi inusta - *per ulceri come abbronzati* - omne corpus rubere, ut ignis sacer cum spargitur per victimarum membra. Thucidides - *l' esterno del corpo non era a toccare molto caldo nè pallido, ma rossastro livido e gremito di pustolette ed ulceri; mentre le parti interne erano in tal bruciore che i malati non potevano sopportare.*

Nil adeo posset etc. Nil, nec pannus, puta, etsi tenuis et levis poterat applicari membris. Ovidius. « Non stratum, non ulla pati velamina possunt, utile enim nihil est. Fontibus et fluviis puteisque capacibus haerent. » Vide quae sequuntur. Sed quanto inferior Ovidius. *Tenueque:* trisill.: ex synaer. producta prima.

Ore patente: Reddunt aliqui: venientes ore patente - *accorrendo a bocca aperta* - Sed malim interpretari: venientes h. e. in puteum cadentes ab ipso ore patente putei. Primam interpretationem sequuntur Marchettus, et Marchesius.

Insedabiliter etc. Sitis arida insedabiliter, h. e. numquam sa-

Nec requies erat ulla mali, defessa iacebant
Corpora, mussabat tacito Medicina timore,
Quippe patentia cum totas ardentia nocteis
Lumina versarent oculorum expertia somno;
Multaque praeterea mortis tum signa dabantur,
Perturbata animi mens in moerore, metuque,
Triste supercilium, furiosus voltus, et acer,
Sollicitae porro plenaeque sonoribus aures,
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus,
Sudorisque madens per collum splendidus humos,
Tenuia sputa, minuta, croci contincta colore,
Salsaque per fauceis raucas vix edita tussi.
In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat; item ad supremum denique tempus
Compressae nares, nasi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraque, inhorrebat rictum, frons tenta manebat:

tiata, mersans corpora, h. e. opprimens, efficiebat ut quamvis multae aquae tenuis imber viderentur.

Mussabat tacito etc. Prosopopaeia: medicina mussabat, h. e. haerebat, dubia quid agendum esset - *era confusa la medica arte nel timido silenzio.*

Quippe patentia etc. Quippe cum per totas noctes aegroti versarent oculos patentes ardentesque, et somni expertes.

Animi mens: Mens animi apud poëtas i. q. animi robur: Popma. Subaudi: erat inter signa vicinae mortis.

Acer - acerbo.

Sonoribus - di fischi.

Splendidus humos - luccicante umidezza.

Salsa: translate pro acuta, vel amara.

Trahier tremere etc. Ex literarum conflictu nota expressum quod in eodem morbo appellatur italice - *i granchi* - Trahier, tremere - *contrarsi, tremare* - Quam vere!. *Artus - le giunture* - unde potest intelligi manuum ipsarum artus.

Non dubitabat: solebat.

Nasi primoris etc. - la punta estrema del naso affilata.

Cavati oculi - incavernati gli occhi.

Inhorrebat rictum etc. - Redde - *si arricciavan le labbra.* Marchetti - *aveva compresse*

Fino all'estremo dì le nari; in punta
Tenue il naso ed aguzzo: occhi sfossati
Cave tempie e contratte, e fredda ed aspra
Pelle, ed orrido ceffo, e tesa fronte.

Frons tenta manebat: h. e. dura, extenta pelle.

Nec nimio rigida post strati morte iacebant:
Octavoque fere candenti lumine solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum siquis (ut est) vitarat funera lethi,
Vlceribus tetris, et nigra proluvie alvi;
Posterius tamen hunc tabes lethumque manebat:
Aut etiam multum capitis cum saepe dolore
Conruptus sanguis plenis ex naribus ibat:
Huc hominis totae vires corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus.
Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.
Multaque humi cum inhumata iacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis solibus ulla
Comparebat avis, nec noctibu' saecla ferarum
Exibant sylvis; languebant pleraque morbo,

Nec nimio rigida etc.: nec multo post moriebantur.
Candenti lumine: h. e. orientis, ideo candentis, lumine solis. Nona lampade - *con la nona aurora.*
Quorum siquis etc. Si qui aegroti post ulcera taetra et post alvi proluviem vitabant mortem, tamen postidea impliciti macie lenta peribant. *Proluvie alvi*, nos - *dissenterìa, soccorrenza di ventre.*
Aut etiam etc.: aut etiam saepe cum magno dolore capitis multus sanguis etc. Cf. Virg. quae supra notavi.
Exierat: evaserat, et nos - *usciva salvo.*
Et artus - *nei muscoli* - Subaudi, ibat.
Cognoscere ut ipsi etc.: ut neque ipsi possent cognoscere se.
Tamen alituum etc.: Cf. quae Ovidius.

Corpora foeda iacent, vitiantur odoribus aurae,
Mira loquar: non illa canes avidaeque volucres,
Non cani tetigere lupi: dilapsa liquescunt,
Afflatuque nocent et agunt contagia late.

Confer etiam quae narrat Boccaccius - *Maraviglìosa cosa è a udire. . . . . che di tanta efficacia fù la qualità della pestilenza nello appiccarsi da uno ad altro, che non solamente l' uomo all'uomo, ma. . . . . la cosa dell' uomo infermo stato, o morto di tale infermità, tocca da un altro animale, fuori dàlle spezie dell'uomo, non solamente della infermità il contaminasse, ma quello infra brevissimo spazio uccidesse.* V. *La peste in Firenze.*

Et moriebantur: cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus aegram:
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta:
Nec ratio remedî communis certa dabatur.
Nam quod alîs dederat vitaleis aëris auras
Volvere in ore licere, et coeli templa tueri
Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.
  Illud in his rebus miserandum et magnopere unum
Aerumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo moesto cum corde iacebat
Funera respectans, animam et mittebat ibidem.
  Idque vel in primis cumulabat funere funus:
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex aliis alios avidi contagia morbi:
Nam quicunque suos fugitabant visere ad aegros,
Vitaï nimium cupidi, mortisque timentes,
Poenibat paullo post turpi morte malaque
Desertos, opis experteis, incuria mactans,
Lanigeras tanquam pecudes, et bucera saecla.
  Qui fuerant autem praesto, contagibus ibant,

Fida canum vis: Virg. Odora canum vis. IV. Aen. v. 132,

Incomitata rapi etc.: certabant, contendebant, uti mortui efferrentur vel incomitati, h. e. nullo exequiarum honore - Boccaccio: *nè erano perciò questi da alcuna lacrima o lume, o compagnia onorati.*

Remedî: remedii, apocope.

Alîs: aliis, synaeresis.

Illud in his etc. In his rebus illud unum erat miserandum etc.

Apisci: h. e. adipisci.

Poenibat etc.: puniebat incuria mactans, h. e. occidens eos, desertos, expertes opis tamquam pecudes lanigeras, et saecla bucera, puniebat eosdem paullo post morte turpi, quicumque fugitabant visere aegros consanguineos etc. Bucera saecla - *razza bovina.* Boccaccio, *anzi era la cosa pervenuta a tanto che non altrimenti si curava degli uomini che morivano, che ora si curerebbe di capre.*

Qui fuerant autem etc. Illi vero, qui adstiterant aegris contagibus ibant, h. e. mortem obibant ex lue contracta, et labore quem pudor et vox morientum cogebat impendere. Quot imagines uno versu! *vox blanda - voce amorosa* - lassorum, nempe, doloribus et longa morte - *dei lassi* - mista voce querelae, nam querulum fere invenies quemcumque, aegrotantem.

Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque lassorum vox mista voce querelae.
Optimus hoc lethi genus ergo quisque subibat:
Inque aliis alium populum sepelire suorum
Certantes, lacrymis lassi luctuque redibant.
Inde bonam partem in lectum moerore dabantur:
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Praeterea, iam pastor, et armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebant, penitusque casis contrusa iacebant
Corpora, paupertate et morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum

Optimus hoc lethi etc. Hanc mortem ex humanitate in alios partam obibant quicumque optimi, qui, ut aliis adsiderent, vitae suae non parcebant. Moralis quidem hic sensus, christianamque redolens charitatem. Recordare illud : *maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Inque aliis etc.: et certantes sepelire populum suorum, h. e. suos in aliorum locis, redibant lassi lacrimis, et nisu, quo certaverant sepelire suos.

Bonam partem : h. e. plerique.

Nec poterat etc.: omnes premebat calamitas; morbus alios, mors alios, ceteros luctus carorum.

Praeterea iam pastor etc. - Boccaccio. *Per le sparte ville e per i campi i lavoratori miseri e le loro famiglie . . . . . . per le vie e per li loro cólti o per le case, di dì e di notte, indifferentemente, non come uomini, ma quasi come bestie morieno. . . . . Di niuna lor cosa o faccenda curavano: anzi, tutti, quasi quel giorno la morte aspettassero, non d'aiutare i futuri frutti delle bestie e delle terre e delle lor passate fatiche, ma di consumare quegli che si trovavano presenti si sforzavano con ogni ingegno.*

Exanimis pueris etc. Videres corpora parentum exanimata super exanimis pueris, retroque, h. e. invicem etc. Edere vitam h. e. exhalare animam. Videbis infra quam suavius imaginem hanc nobis referant sacrae Chartae, Marchetti.

Inoltre ogni pastore, ogni guardiano
D'armenti e già con essi egri languiano
I nervuti bifolchi, e nelle anguste
Lor capanne stivati, e dall'orrenda
Mendicità, più che dal morbo oppressi
S'arrendeano alla morte. Ivi mirarsi
Potean sui figli estinti i genitori
Cader privi di vita ed all'incontro
Spesso dai cari pegni i corpi lassi
Sovra i padri e le madri esalar l'alma.

Corpora nonnunquam posses, retroque videre
Matribus, et patribus natos super edere vitám.
Nec minimum partim ex agris aegroris in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parti.
Omnia complebant loca tectaque, quo mage eos tum
Confertos ita acervatim mors accumulabat,
Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquaï.
Multaque per populi passim loca prompta, viasque
Languida semianimo tum corpore membra videres,
Horrida paedore, et pannis cooperta perire
Corporis inluvie: pellis super ossibus una,
Vlceribus tetris prope iam, sordique sepulta.
Omnia denique sancta Deûm delubra replerat
Corporibus mors exanimis, onerataque passim
Cuncta cadaveribus coelestum templa manebant:
Hospitibus loca quae complêrant aedituentes.
Nec iam relligio Divûm, nec numina magni
Pendebantur: enim praesens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
Vt prius hic populus semper consuêrat humari:

Nec minimum partim etc. Et turba languens agricolarum, conveniens, morbo implicita, ex omni parte contulit eam pestem, unde magna pars moeroris confluxit ex agris in urbes. *Minimum partim.* Nec minimus aegror confluxit partim etc.

Quo mage eos tum confertos. Sic legendum: quia loca omnia oppleta languentum, ideo magis eos ita confertos mors accumulabat.

Viam per etc.: prostrata per viam, et provoluta, iacebant strata ad silanos. *Strata* videtur pleonasmus. *Ad silanos*: silanus est rostrum aeneum cum fistula, unde aqua effunditur e fontibus artificio factis; quod rostrum plerumque referebat vultum Silani h. e. Sileni. - *ai mascheroni.* Forcellini,

Multaque per populi etc. Confer, et vide quanto suavius illud Hyeremiae. *Cum deficeret parvulus et lactens in viis oppidi...:.. Cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

Horrida paedore etc. Paedor est squallor immundus, vel illuvies et sordes, Nos - *lezzo.*

Aedituentes: i. q. aeditui, nos - *i custodi*, *i sacristi* - complêrant ea loca, hospitio recipientes aegrorum turbas.

Vt prius etc.: h. e. quo more populus consueverat humari.

Perturbatus enim totus trepidabat, et unus
Quisque suum pro re consortem moestus humabat.
Multaque vis subita, et paupertas horrida suasit.
Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper instructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faceis, multo cum sanguine saepe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

(Ex lib. VI, vers. 1088-1284).

Pro re. Prout occasio dabatur - *come potea.*

Multaque etc. Vis subita et paupertas suasit multa.

Aliena rogorum: alienos rogos. Locabant suos super exstructos aliorum rogos.

Rixantes potius etc. Non sine vulneribus rixantes potiusquam carorum corpora desererentur insepulta. Vide quid moestitiae et languoris sonet clausola.



EX LVCRETIANO POËMATE

DESCRIPTIVNCVLAE



I.

IPHIGENIA.

Aulide....... Triviäî virginis aram
Iphianassäi turparunt sanguine foede
Ductores Danaum, delecti, prima virorum.
Cui simul infula virgineos circumdata comtos
Ex utraque pari malarum parte profusa est,
Et moestum simul ante aras adstare parentem
Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
Aspectuque suo lacrimas effundere civeis,
Muta, metu terram genibus summissa petebat:
Nec miserae prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donârat nomine regem.
Nam sublata virum manibus, tremebundaque ad aras
Deducta'st, non ut, solemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenaeo:
Sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu moesta parentis,
Exitus ut classi foelix faustusque daretur.

(Ex libr. I, vers. 85-101).

II.

RES OMNES TERVNTVR.

. . . . . Multis solis redeuntibus annis,
Annulus in digito subtertenuatur habendo:
Stillicidî casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulte decrescit vomer in arvis:
Strataque iam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum portas propter ahena
Signa, manus dextras, ostendunt adtenuari,
Saepe salutantum tactu, praeterque meantum.
Haec igitur minui, cum sint detrita, videmus.

(Ex libr. I, vers. 312-320).

III.

DE ATOMIS.

Contemplator enim cum solis lumina cumque
Insertim fundunt radios per opaca domorum,
Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora misceri radîorum lumine in ipso:
Et velut aeterno certamine praelia pugnasque
Edere turmatim certantia nec dare pausam,
Conciliis et discidiis exercita crebris.

(Ex libr. II, vers. 113-119).

IV.

DE COLORIBVS.

.... Quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in luce existunt primordia rerum,
Scire licet quam sint nullo velata colore.
Qualis enim coecis poterit color esse tenebris,
Lumine qui mutatur in ipso, propterea quod
Recta aut obliqua percussus luce refulget?
Pluma columbarum quo pacto in sole videtur
Quae sita cervices circum collumque coronat:
Namque alias fit uti rubro sit clara pyropo;
Interdum quodam sensu fit uti videatur
Inter caeruleum virideis miscere smaragdos.
Caudaque pavonis, larga cum luce repleta est,
Consimili mutat ratione obversa colores:
Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu
Scilicet, id sine eo fieri non posse putandum'st.
Et quoniam plagae quoddam genus excipit in se
Pupula, cum sentire colorem dicitur album,
Atque aliud porro, nigrum cum et cetera sentit,
Nec refert ea quae tangas, quo forte colore
Praedita sint, verum quali magis apta figura:
Scire licet nil principiis opus esse colores,
Sed variis formis varianteis edere tactus.

(Ex libr. II, vers. 794-815).

V.

DE COLVBRO SECTO.

.... Tibi si, lingua vibrante, minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrinque
Sit libitum in multas parteis discindere ferro,
Omnia iam seorsum cernes ancisa recenti
Volnere tortari et terram conspergere tabo;
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morsu premat icta dolore.

(Ex libr. III, vers. 657-663).

VI.

DE ECHO.

Vox solidis adlisa locis reiecta sonorem
Reddit et interdum frustratur imagine verbi.
Quae bene cum videas rationem reddere possis
Tute tibi atque aliis, quo pacto, per loca sola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cum monteis inter opacos
Quaerimus et magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,
Vnam cum iaceres: ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.
Haec loco capripedes Satiros Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, et Faunos esse loquuntur;
Quorum noctivago strepitu ludoque iocanti
Affirmant volgo taciturna silentia rumpi,
Cordarumque sonos fieri, dulceisque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum:
Et genus agricolûm late sentiscere cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans
Vnco saepe labro calamos percurrit hianteis,
Fistula silvestrem ne cesset fundere musam.

(Ex libr. IV, vers. 574-593).

VII.

DE PUTEALI AQUA.

Frigidior porro in puteis aestate fit humor
Rarescit quia terra calore, et semina si qua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
Quo magis est igitur tellus affecta calore,
Hoc fit frigidior, qui in terra est abditus humor:
Frigore eum premitur porro omnîs terra, coitque
Et quasi concrescit, fit scilicet ut coeundo
Exprimat in puteos si quem gerit ipsa calorem.

(Ex libr. VI, vers. 840-847).

FINIS.